CATECHESIS, SEV INITIA DOCTRINAE IN ECCLESIA CHRISTI GRAECE

ITERVM NVPER EDITA, ET NVNC
primum in ſermonem Latinum conuerſa,
cumque indicio & notatione lo-
corum quorundam,
expreſſa



Lipſiæ,

IN OFFICINA VOEGEL.

DE LIBELLO CATECHESEOS (QVAE SVNT INITIA DOCTRINAE ECCLESIASTICAE) Græco in Latinum sermonem conuerso, ad Lectores.

REVERENDISS. ET illustrissimus princeps & Dominus, Dominus Georgius Princeps Anhaltinus &c. qui perhiberi uere potest non modo nobiliss. generis origine, sed sapientia, uirtute, pietate, doctrina, uitæ sanctitate, *cum suæ ætatis omnibus, tum superiorum temporum quã* plurimis præstitisse: Cum ita res tulisset, & postularent casus singulares, non commemorandi hoc loco, ut administratio rei Merspurgens. cõmitteretur illustriss. Principi ac Domino Domino Augusto, Duci Saxon. &c. adiutor in curandis Ecclesiasticis negotijs, & doctrina salutari instituenda, ordinandisq; consentaneis ritibus

§ 2 ascitus

ascitus fuit. Quo quidē prolapsa fuerint tunc omnia pene eo loco, neq; lubet enarrare & dolet meminisse. Quo autem studio quaq; diligentia, attentione, uigilantia opt. & sanctiss. Princeps Georgius laborantibus reb. subuenerit, & uitia non dissimulanda amplius correxerit, & ruinas fœdas instaurauerit, longum exponere, & nō uulgaris historiæ opus esset. Quod autem hic non suæ solum ecclesiæ quam rectissime cōsultum, sed ad alias quoque utilitatis aliquid uel ab exēplo uel etiā facto suo peruenire cuperet, magnopere studuit ante omnia quidem illustrari doctrinę purę & sinceræ tractatus, sed neq; actionum laudē & decus, ceremoniarumq; præclarum ordinem negligendum esse censuit. Educatus autem ipse in Ecclesiastici status disciplina, & natura amans religionis ac honestatis, ingenioq; præditus admodum mansueto & placido, intelligebat ille quidē in doctrinæ puræ conseruata ueritate, esse omnia. Hāc tamē in administratione perturbata & con-

fusione

fuſione rerum gerẽdarum, uix unquã permanere diu quaſi ſanã, &, ſi ita loqui liceat, retinere ualetudinẽ bonam. Sed cum duæ religionis ſanctitati immineant ueluti labes ſemper, quarum modo hæc modo illa infeſta ipſi eccleſiam magis premere ſolet: ſuperſtitionum errores atq; uanitas, & leuitas ac diſſolutio uitæ profanæ, & utraq; interitus aut grauiſsimæ afflictionis periculum minetur: ſolebat ſapientiſſ. & pietatis religioſæ amantiſſ. Princeps dicere: ſibi non liquere, utra maior magiſq; mortifera atq; etiam fœdior perhibenda peſtis uideretur. Vt enim *ſuperſtitio animos imbutos falſitate & fabulis* ſæpe anilibus aſſentiẽtes timore quodam malo & pernicioſo deijceret de ueneratione uera Dei æterni, ſic profanorum hominum ueſania impias perſuaſiones atq; ſententias cum excitari tum confirmari, ex quib. uel numinis diuini contemtus, uel etiam opinio ſcelerata, nullum eſſe illud, uel in ſecuritate & licẽtia naſceretur procliuitas quæ diuina & humana cõuel-

 leret,

leret, indulgẽdo cupiditatib prauis, & obsequẽdo animo im℗bo atq; petulãti. Qua℗pter acerr. ipse hostis falsæ doctrinæ, in disciplina ecclesiastica instituẽda atq; custodiẽda, ualde erat sedulus & attẽtus. Eoq; nomine colluuies quædã hominum turbulentorũ, qui hinc inde latratu sæuo obstrepere nõ dubitabãt omniũ conatibus dictorum factorumq;, neq; personis neq; reb. ullis parcẽtes, hunc principẽ insectata est, neq; a falsis cõuicijs, inq; eo minime adhærẽtibus, abstinuit. Atq; hæc furiosa audacia ac proteruitas nõ parum in ecclesia erigentem se & confirmãtem doctrinæ puræ ueritatẽ debilitauit, & aduersariorum retardatum peneq; fractum impetum ℗rsus residere non siuit. Sed hæc est scilicet fortuna præconij salutaris de regno Dei, vt nõ solum ab hostibus illi recla metur, sed eorum quoq; qui pro ciuibus haberi inprimis cupiunt, ambitiõe & scelere excitatis dissidijs tã impedimenta quã detrimenta afferãtur. Reperietur q; omnibus temporib. & locis

qui

qui preposterum quedã peruersumq;
ardorẽ animi religionis studio inflã-
mati prætendẽtes, neq; agitata & tu-
mẽtia cõquiescere atq; sedari, neq; pla
cida ac tranquilla durare patiantur.
Et habẽt ac habebunt præstantes viri
semper tãq; Vlysses & Achilles in ex-
ercitu Græcorum Thersitas suos. Cui
generi displicuisse actiones & consilia
principis Georgij, tã gloriosum illi pu-
tandum, q; quod bonos piosq; & De-
um caste venerantes, & patriæ amãtes
habuit, & nunc quoq; habet admira-
tores prædicatoresq; illustrissimæ ex-
cellẽtiæ maximos. Qui enim bellum
indixerunt paci concordiæq; & iuri,
legibus, morib. probatis, moderatio-
ni, pudori, omnib. deniq; quæ ad Deũ
& homines recta laudabiliaq; sunt,
eos tam scilicet præclarum ducẽdum
est habere repræhensores & infensos,
quam magnifieri & celebrari a mode-
ratis, temperantibus, uerecundis, De-
um religiose colentibus, & tuentibus
officiose hominũ societatẽ. Sed quo
Dei ęterni prouidentia termino istam

rabiem definiri & insistere uolet, ad eum usq;, dum hæc excurrat, patienter expectandum est, & imploranda asiduis precib. benignitas illius, ut mi sertus nostri non auferat spiritum sanctum suum a nobis, inq; tanto rerum discrimine protegat paruulum gregē suum, neq; ob quos colligēdos et quasi palantes in mundo cogendos filium suum λόγον συναΐδιον factum hominē mori uoluit, eos sinat ulla ui aut fraude disipari. Sane ista adhuc quasi folia cadunt doctrinæ celestis, cuius ecclesia Christi custos est, & qua ipsa continetur, mox etiam cadent arbores, secundum uetus uerbum, quæ iā uacillantes suo fragore ingentē ruinam minantur, rursum emergētibus, qui filij Dei æternitatem æqualitatemq; naturæ cum patre æterno, & similia atque paria cætera κατὰ τὴν οὐσίαν ἤτοι φύσιν κοινὴν τῆς θεότητος μιᾶς ἐν ἣ τὰ τρία, nefarijs disputationib. conuellant & quibusdam ad Christi Iesu humanitatem omnem uim diuinitatis attribuētibus, alijs etiam alia portenta conuictarum

& ex-

et explosarum iampridē delirationum renouātibus. Sed reuertor ad illustriss. & summum principē Georgium. Accurate ille emēdabat uitia rituum Ecclesiasticorum, doctrinam autem ita tuebatur ut ipse etiam administraret concionibus ad populum habēdis nō modo exquisitis atq; prȩclaris, & cum maxima utilitate iucundis, sed frequētibus quoq; et ualde crebris, cum eius ualetudo corporis illa quidē bene con stituti & elegantis, afflicta tamē morbo, esset imbecillior. Nō autē erat hic Princeps tantus et tam capitalis hostis errorum in Ecclesiam inuectorum, ut odio aut ira incitatus *simul euerti destruiq;* priora omnia oportere censeret. Cumq; aliquando audijsset a quodam repræhensam importunitatē mu tantium atq; disturbantium cuncta, quæ more in Ecclesiasticis conuentibus gererentur, dicere eum solitum: Laborantib. in magno ædificio cōclauibus aut alijs partibus labefactatis, sarciendi has potius curam suscipi debere, quam totā extructionem demo-

 liendi

liendi laborem: Vtinam, inquit prin-
ceps Georgius, fundamentū modo re
tineatur atq; maneat, de extructioni-
bus poteramus uidere quid fieret. Ne-
que pudebat aut pigebat eum cōcede
re ac ferre, quicquid bona cōſcientia
et ſalua ueritate piaq; religione omni-
no poſſet. Cumq; ne caritatis uincu-
lum rumperet ſtudioſe cauēdum eſſe
cenſebat, tum ſuſpitionum curioſita-
tem ſupra modum oderat & auerſaba
tur, & plurimi faciebat, pulcerrimāq;
eſſe aiebat ſentētiā, veterum cuiuſdā:
Quod inter ſigna præcipua, non duci
aliq̄s ſpiritu ſancto, eſſet falſarum opi-
nionum cōceptus, eumq; q ſe audeat
abſcindere & ſeparare a fraterni amo
ris neceſsitudine, multa ſolicite cogita
re, & multas puigilādo noctes cōſume
re, & cum largo flumine lacrimarum
a Deo exqrere ueritatē oportere. Præ
ſentis igit vitę inſanā uchemētiā et fu
rioſos motus in omnib. ordinib. cōdi-
tiōibus, ætatibus, ſexu utroq;, & defle
re dolēter et grauiter accuſare. Quod
uideret ius et iudicium rectum vbiq;
iacere,

iacere, & oẽs in sum̃a licẽtia *sequi arbi*
trium suum ruentes in im℘bitate sine
modo & fine: Neq̃ populo castigatio
nẽ et admonitiões magis curãte, neq̃
ijs, q̃ præsiderẽt, autoritatẽ suã tuen-
tibus. *Qui ipsi dissidẽtes* & his aut illis
assentantes, *instruerentur* ad mutuas
rixas tanq̃ *armis sacrarum* vtriq̃ litte
rarum oraculis, & obijciẽtes veritatis
defensionẽ vel odijs uel erroribus su-
is, & ita hos tegẽtes, pro religionis pie-
tate se *suscipere inimicitias* fingerent.
Tum deinde tradita ab Apostolis ali-
qui falso ad uelanda mendacia appli-
carent, aliqui huiusmodi omnia auda
cissime *respuerent. Patrum uero scri-
pta ita iactari*, vt modo admitterẽtur
veluti auxilia illorum, modo repudia-
rẽtur tanq̃ aliena. Mox cõseri manus
veluti in nocturno prælio in ignora-
tione hostium atq̃ ciuium. Duces au-
tẽ ipsos ut magis in tuto essent, sese in
multitudinis conciliatas sibi factiones
inuoluere atq̃ implicare, & ita existe-
re horribilium seditionum autores.
Quin etiã, id q̃ miserr. esset, eos quoq̃,
qui

qui uiderentur propugnatores sanæ doctrinæ, scindi in partes & intestino bello conflictari. cumq; ab hostibus, qui ipsos perditos extinctosq; cuperēt, foris impenderent tanta pericula, ipsos nihilominus contrariarū factionum intus dementia affligi et absumi. Cum interea vniuersi subeuntes sub nomen Christi, & sanctissima Christianorū appellatione gloriantes, Nomini Christiano fœdiss. maculas inurerent, eam uitam degendo, qua in hoc mundo nō animaduerteretur alia leuior, futilior, deformior, flagitijs sceleribusq; inquinatior. Ipsi vero qui vbiq; aut concionando populum docerēt, aut scribendo operas darent, hoc vno essent in admiratione & eminerent, q maledictorum vehementia & insectandis aduersarijs uinci se nō paterentur. Hæc igitur & huiusmodi alia, Illustriss. ille atq; laudatiss. Princeps sæpe cōqueri, & se rursum tamē consolari consueuerat, cōmemoratione ingentium beneficiorum clementiss. propitij Dei, qui in his tam dēsis tenebris

elucere

elucere tamen sineret clarissimum splendorem celestis & æternæ ueritatis, & huius doctrinam puram sinceramq; alicubi conseruaret. Mirifica autem erat in eo cupiditas & desiderium maximum demonstrandi omnibus, si fieri posset, mortalib, eius doctrinæ quam & ipse profiteretur com præhensam & expositam Anno 1530. Imperatori Carol. V. rationem, congruentem cum consensu catholico omnis antiquitatis retinentis ueram rectamq; a Christo & Apostolis traditorum intelligentiam: Quo magis igitur ac certius cognosceretur perspicereturq; *hanc talem, id est*, *defendentem* & custodientem fidei Christianæ puram sinceramq; integritatem, non recedentem ab hac, & eam deprauantem esse sectam, quemadmo dum aliqui insimularent: non modo ipse autor hortatorq; fuit alijs, vt diligenter & studiose cum scriptis suis de illa ipsa consensum catholicæ Christi ecclesiæ demonstrarent, tum explana rent, qua falsitate esset contaminata

doctri-

doctrinæ ueritas, & quæ superstitio-
num prauitas actiones sanctæ religio
nis bonas atq; utiles corrupisset: Sed
ipse etiã liquido hæc disseruit, et plane
docuit, quinã uel secessionum & secta
rum capita, vel dissidiorum distractio
numq; causa fuerint, hocq; tanti faci-
noris crimine damnãdi esse uideãtur.
Suntq; eorum scriptorum iampridem
præcipua edita, nõnulla immatura nõ
tã ipsi principi, quã Reip. morte quasi
repressa, propediẽ exoritura inq; lucẽ
ꝓditura sperãtur. Cum autẽ aliquãdo
facta esset mẽtio administrationis græ
carũ ecclesiarum, deplorauit illustriss.
& clementiss. Princeps Georgius affe-
ctione maximi doloris, & calamitates
quib. illa natio oppressa sub barbaro-
rum crudelissimæ dominationis iugo
iamprídẽ gemeret, uel lacrimis potius
ac mœrore cõficeretur, & cum ipso-
rum inter se discordias, tum a Roma-
næ ecclesiæ quasi corpore separatio-
nem & auulsionem. De qua sæpe ma-
gna tristitia affici se significans, nõ du-
bitabat Romanam pene sæuitiam &
illam

illam δυτικὴν ὀφρὺν, vt Basilius appel-
lat, grauiter accusare & Græcorum
inconstantiā repræhendere. Sed quia
sciebat esse vnam, ueram sanctamq;
ecclesiam tanq; castam uirginē, spon-
sam filij Dei Domini nostri Iesu Chri
sti, plurimum referre arbitrabatur,
eorum qui in utraq; illa gente pij do-
ctores fuissent, quorumq; scripta ad
nos peruenissent, de ueritate celestis
doctrinæ perpetuum & catholicum
consensum & ipsum extare, vt secun-
dum sacrarum litterarum oracula p-
pheticis & apostolicis libris compræ-
hensa, de hoc ipso, controuersiarum
quæstionumq; cōmotarum quasi ca-
ligine iā offusa, quod uerum, certum,
rectum esset, clarius eluceret. Itaq; au
tor hortatorq; & impulsor fuit, vt ijs
capitibus, quorum cōsummatione ex-
plicari initia doctrinæ Christianæ so-
lēt atq; debēt, perscriberetur greco ser
mōe ratio atq; tractatio illius in his re
gionibus. Quod opusculum nō ita diu
ante obitum illustriss. Principis Geor
gij, ap-pbatiōe et leticia illius singulari,
Lipsiæ

Lipsiæ est editum. Et nunc denuo aliquāto accuratius. Atq; est intellectum Latinā etiā interpretationē requiri, q̄ hic libellus modo exhibet. Sane in gręcis opera data fuit, vt ijs verbis atq; orationis quoq; figuris omnia exponerentur, quib. autores doctrinæ Ecclesiasticæ vsi essent. In latinis vero tā solicite, &, vt ita loquar, anxie seruatum hoc nō est, ac tētatum potius, vt sentētia Græcorum explanaret. Itaq; etiam scripturæ loca nō ijsdem omnia verbis quibus extant in libris autenticis referuntur. Nam interpretatiōem diuersam alicubi fore explicationis instar, visum est. Facient autē quemadmodum speratur, q̄ operę precium sit, studiosi religiosæ pietatis, si Græca cum Latinis contulerint. Ita enim cognitio scientiaq; perfecta capi poterit earum rerum quæ huius libelli expositione traduntur. De quo plura commemorari nō est necesse, experimētum autem profecto neq; illiberale neq; pœnitendum est fututum.

Perscr. Anno Christi M. D. LXIII. Mense Sextili.

INITIA DOCTRINAE CHRISTIANAE.

Prooemium.

EX ORE INFANTIVM, *& lactentium, inquit scriptura, perfecisti laudem. Quare inseruire litterarum & linguarum omnium enarratio, gloriæ Dei, & iuuentuti capita* religionis exponere debet, quorum cognitione *& commemoratione, ipsi & semper cultum Deo gratum præstent, & ad perfectam intelligentiam arcanorum diuinorum perueniant. Aequum autem est, vt hoc etiam tempore Græcæ litteræ explicent veritatem Christianismi, quam illæ primum, tanquam vas ad hunc vsum diuinitus elaboratum, acceperunt, & diu puram sinceramq; conseruauerunt, quanquam nunc etiam (cum misertum esset Deum inopiæ nostræ, vt aperiret cellas celestium facultatum) de illis abunde sumere & proferre his vltimis temporibus, concessum fuit. In præsentia autem (ita visum Deo misericordi patri) illi pro nihilo habiti, &*

biti, & propemodum tanquam bruti quidam homines aliarum gentium quarundam iudicio condemnati Germani, primi, vt ita dicam, omnium, tam diuini verbi auditum, quam sententiam illius perceperunt. Vt tam longe cum ingenijs, tum moribus differentes, quósque inter ipsos separant interiecti, secundum Homerum,

Vmbriferi late montes pelagusq; sonorum,

appropinquent nihilo minus & vicini sint sibi dogmatis, Germani inquam ipsi, & ij qui Græci nominantur, vbicunque gentium modo degant, vt iam vna sit amborum præclarißima ciuitas, fidei, quæ ab Apostolis IESV CHRISTI *Saluatoris nostri tanquam hieromystis consita & irrigata, diuinitus fecit incrementa, vnde & ad nos quoq; fructus peruenerunt, in communione filij Dei Iesu Christi domini nostri, ad quam initio vniuersi huius mundi incolæ vocati fuerunt, Græci, barbari. Magni, parui. Sapientes, indocti. Periti artium & imperiti. Robusti & imbecilles. Diuites, pauperes. Principes, subditi. Domini, serui. Vniuersi ad vnum nomen Salutis, & consentientem doctrinam veritatis instituti sunt, ab vno diuinitus misso spiritu. Et hæc oracula per Græcæ linguæ interpretationem, quæ ediderunt antistites sacrorum & principes Mysterij dispensationis Dei in carne, post longum tempus etiam ad nostras aures,*

aures, qui procul remoti essemus, perlata fuerunt, cui beato & misericordi Deo gloria semper & laus, per IESVM CHRISTVM, *filium Dei vnigenitum, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen. Quapropter vnusquisq; nunc vigilet & attollat oculos ad splendorem diuini luminis. Nam tenebræ ab æterno sole discussæ sunt. Noctem illius diei apparentia, quem fecit Deus, illustrauit. Non amplius subter nubem erramus, sed in luce ambulamus. Cessent superstitionis & voluntarij cultus peruersiones & fallaciæ. Neminis enim iam verba exaudienda nobis esse ducimus, nisi eius qui loquitur* IESVM, *qui, sicut sanctus Paulus ait, factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaq;, & sanctificatio & redemtio, quare, sicut scriptum est, qui gloriatur is in Domino glorietur. Eum itaque qui loquitur hanc arcanam Dei sapientiam, cum demonstratione & efficacia spiritus, solum suscipimus. Boni illius pastoris vocem, nos ouiculæ ipsius, agnoscimus, & sequimur eum vocantem, alienum neutiquam secuturi. Haud iam huc illuc vagantes à ianua aberramus, sed per hanc modo apertam in Christi ouile cogimur, & egredientes pabulum inuenimus præclarum illud & pingue. In quo olim versati sancti, & in numerum piorum relati, patres, Irenæus, & Basilius, & Gregorius,*

 & Atha-

& Athanaſius, & Epiphanius, & Ioannes, & alij plurimi, reliquerunt nobis & ipſi ſuorum veſtigiorum ſigna, ideoq; minus iam in illa Deo gratiſsima via errare poſſumus. Et hac ſequentes, feſtinamus ad eundem finem, quem ipſi attigerunt, à patribus inquam traditæ non ſeductionis, ſed in ſancta fide, rectæ ſententiæ & ſanæ doctrinæ. Vnde cum diſceſſiſſent antehac non pauci, pro Chriſtianis ſine controuerſia Ethnici extiterunt, infideles, duri, tyrannici, impudentes, profani, alieni à Deo, non, vt par erat, fideles, mites, boni gubernatores, pudentes, timentes D E V M, *religioſi in omni veritate & grauitate & honeſtate ac probitate, ea quæ placet ſoli ſpecioſo & bono Deo per Chriſtum. Vos igitur, pueri mei, quos diuina vox admittens, ſinite inquit paruulos venire ad me, ne prohibete ipſos, talium enim eſt regnum Dei, vos quæſo, capitibus ſalutaris fidei & viuifici verbi & celeſtis doctrinæ, hinc, ſi ita cadat, cognitis, promtam exhibete auſcultationem veſtram verbo Dei, vt augeſcente fide veſtra ita amplificetur in vobis cognitio ueritatis, dum procedatis ætate & intelligentia ad perfectionem virilem, vt & in hac vita & in æterna cum* C H R I S T O I E S V *vniti reperiamini & permaneatis, benedicentes ſemper & celebrantes Deum æternum patrem & filium & ſpiritum ſanctum, ſolum, omnipotentem, iuſtum, fortem,*

fortem, immortalem, misericordem DEVM, *Amen.*

Catechesis Christianismi quid est?

DOctrina præconum diuini sermonis, accommodata ad iuniorum & rudium intelligentiam, & breuiter per capita exponens contemplanda omnia veritatis verba, & resonans in auribus discentium pietatem Christianismi.*

VBI EXTAT INSCRIPTVra hoc nomen?

Cum alibi, tum apud Lucam in exordio narrationis Euangelicæ, & in epistola ad Rom. cap. 2. & ad Corinth. cap. 14. & ad Galatas, cap. 6. Communicet is qui instituitur hac doctrina cum instituente bona omnia.

QVID EST CHRISTIAnismus?

COnfessio fidei, quod misericordiam consecuti à Deo in nomine IESV CHRISTI, *reconcilientur ipsi omnes qui Christi partium sunt, quem ablegauit pater in hunc mundum, vt ab ipso deuictum peccatum, & extincta mors, nihil amplius valeat contra electos obœdientes verbo vni-*

geniti filij sui. Qui resipiscentes, & auertentes se à prioribus cogitationibus & actionibus, denuo nati sunt ex aqua & spiritu, & iam noua creatura sunt & vocantur Christiani, & fideles, diligentes veritatem & fugientes mendacium pro virili sua, & discipuli sanæ doctrinæ, & vocati sancti in Euangelio, & communiter Ecclesia Christi.

QVOTNAM CAPITA SVNT huius doctrinæ?

Tria maxime vniuersa. Mandata, fidei confessio, & quæ huc pertinent, & adoratio. Quæ quidem omnia scire necesse est vniuersos qui saluari cupiunt in cognitione Dei & sanctitate pietatis.

PRIMVM quidem vt sciat quæ persequenda, quæq; fugienda sint. SECVNDO, postquam cognitis & consideratis his intellexerit quod suis viribus non possit perficere quicquam, vt quærat tunc vnde sumendum sit robur & facultas efficiendi quæ oportet, & vitandi quæ par est. TERTIO ne fugiat ipsum quo pacto quæsitam & inuentam obtinere copiam hanc possit. Quemadmodũ enim ægrotanti alicui, cuius corpus male affectum est, primũ opus est cognitione morbi, vt sciat quinam hic sit, et quib. functionibus corpus priuatum sit, deinde etiam oportet copiam huic fieri

fieri curationis & medicamentorum, quibus vtens melius habeat, ac tandem perquirere & efflagitare & parare ea quæ sanitas requirit. Hoc *sane modo Mandata docent hominem deprehendere morbum suum, de sensu quid facere, aut nõ facere, & quæ vitare aut non, possit. Cumq; iam cognouerit aliquis seipsum quod malus sit, & prauus & peccator, tum deinde Fides remedium afferens, demonstrat misericordis Dei gratiam, qua iustificatus iam mandata quoque exequi possit. Hæc enim & Deum & misericordiam voluntatis ipsius demonstrat, mirabiliter quidem illam in Christo absconditam, patefactam autem & communicatam cum omnibus per Euangelium, vt tantum opus iam sit cupiente & volente accipere. Et hoc iam est adorationis opus. Nam petenti vnicuiq; dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur ostium salutis, et vitæ æternæ.*

QVID EST POENITENTIA?

Odium & auersatio cogitationum animæ & carnis, simulq; & actionum, & cupiditas corrigendi vitam, deposita omni immundicia & iniquitate, cum emendatione delictorum.

De peccatis & lege.

Delictum dicitur omne erratum in vita. Peccatum autem est eorum quæ legibus constituta sunt transgressio. Nominatur & Lapsus. Qui autem leges diuinas transgrediuntur, ij propriè peccatores nominantur. Quicunq; enim peccatum committit, is iniquitatem committit, Et peccatum est iniquitas, vt scriptum est in epistola Ioannis. Hoc est. Lex diuina regula est vitæ sanctè & honestè, & religiosè transigendæ. Et qui peccat nihil facit aliud quam quod his bonis carens, omni peruersitati indulget, & vitam degit neq; Deo placentem, neq; gratam hominibus.

QVAE EST LEX DIVINA?

Hæc communis illa lex est, qua omnes mortales tenentur. De qua scribit sanctus Paulus, quod gentes eæ quæ legem non habeant, cum per se ea exequuntur, quæ lege præcipiuntur, demonstrent opus legis scriptum in cordibus suis. Habent itaque gentes non illæ quidem scriptam, sed legem tamen habent insitam sibi. Hæc enim est quæ Naturæ lex perhibetur, non habens latorem alium quam Deum. Hæc docet quæ expetenda quæq; fugienda sint, secundum rectæ rationis decretum. Quorum capita exposuit Deus edicens

per

per Moysen, insculpta tabulis lapideis, quæ comprænderent eum quem vocamus Decalogum. Quæ nunc deinceps percurrere singilatim tempus.

Editio decalogi, tam ex capite 20. Exodi quam 5. Deuteronomij.

EGO sum Dominus DEVS tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitij. Non erunt tibi Dij alij ante faciem meam. Non facies tibi sculptile, neque vllius simulacrum, quæcunq; in celo supra, & quæcunq; in terra infra, & quæcunq; in aquis sunt subter terram. Non adorabis ea, & nequaquam coles ipsa. Nam ego sum Dominus ille Deus tuus. Deus æmulator, persoluens peccatum patrum liberis ad tertiam & quartam ætatem, ijs qui me oderunt. Et misericordiam impertiens milleno numero, ijs qui me diligunt, & custodiunt mandata mea. Non sumes nomen Domini Dei tui cum vanitate. Neutiquam enim purum præstabit Dominus Deus tuus, sumentem nomen suum cum vanitate. Custodi diem sabbatorum, vt illum sanctifices, quemadmodum iniunxit tibi Dominus DEVS tuus. Sex dies labori tribues, & facies opera tua. Die autem septimo feriæ erunt Domino DEO tuo.

Non facies vllum opus hoc die, tu & filius tuus, & filia tua, & puer tuus, & ancilla tua, bos tuus & iumentum tuum, & omne animal tuum. Itemq; aduena qui est intra portas tuas, vt requiescat puer tuus & ancilla tua, & iumentum tuum, quemadmodum tu quoque. Et memineris quod seruus fueris in terra Aegypti, & eduxerit te Dominus DEVS *tuus illinc manu valida & brachio excelsō. Quapropter constituit Dominus Deus tuus seruandum tibi diem sabbatorum, & sanctificandum esse. Honora patrem tuum & matrem tuam, quemadmodum iniunxit tibi Dominus Deus tuus, vt bene tibi succedat, & vt longæuus sis in terra, quam dat tibi Dominus Deus tuus. Non perpetrabis cædem. Non committes adulterium. Non furaberis. Non eris falsus testis cum falsō testimonio aduersus alterum. Non concupisces vxorem alterius, non agrum, non puerum, neq; ancillam, non bouem aut iumentum, neque vllum animal ipsius.*

De Decalogo singilatim.

EGO SVM DOMINVS DEVS &c. *Hoc exordium edictionis mandatorum Dei, tanquam proœmium Legum, duo præ se fert.* PRIMVM, *esse Deum qui has leges tulerit, vt manifestum*

festum fiat omnibus, quod sint hæ immobiles & perpetuæ, non vt eæ quæ ab hominibus sanciuntur, modo in tali, modo in contrario statu. Item esse supplicia transgredientibus proposita diuinitus, & violantes has leges, eiusmodi pœnis obnoxios esse, quas nullo pacto possit effugere, neque vi perrumpendo, neque occulte declinando. SECVNDVM ostendit & quasi definit numen diuinum, firmam huius & exactam cogitationem illius inserens, & demonstrans solum verum Deum, cum de potentia, tum benefactis ipsius, vt tam timendum, quam diligendum eum esse constituat. Mandatorum tria prima in vna tabularum duarum nimirum priore, docent omnes quantum debeant ipsi Deo, enumerantes ea quæ pertinent ad numen diuinum.

QVI SENSVS EST PRImi mandati?

Esse semper expectanda à Deo omnia bona, & intendendum animum in ipsum tanquam nostrum patrem, in omni simplicitate, & fide, & caritate, & timore. In perpetua cautione ne quando offendamus ipsum tanquam liberi parentem. Natura autem omnibus hoc insitum est & manet, Deum esse datorem bonorum, & auersorem malorum. Ac cogitando reperimus hunc quidem vnum esse. Quemnam vero, & quo

pacto

pacto erga nos affectum non item, nisi ipse sese demonstret. Quapropter animus humanus corruptus peccato, varie solet hac in parte delirare, dum sapiens esse vult, & hæc vestigat extra doctrinam veritatis. Dicit autem primum sane mandatum hoc.

Non erunt tibi Dei alteri.

QVID MEMORAT SEcundum?

Hoc docet quo pacto oporteat hominem se in sermone gerere erga numen diuinum, siue illo apud alios vtatur, seu ipse intra sese loquatur ac cogitet. Iubet itaq; honorem habere nomini DEI. *Non enim cogitatione comprehendere, neque demonstrare sibi aliquis, nedum alteri Deum potest, qui is sit secundum diuinam ipsius naturam, sed nomine innitendum est, quemadmodum et ipse sese exhibet nobis, & manifesta reddit ea quæ exponere vult cognitioni nostræ. Sunt autem verba illius hæc.*

Non sumes nomen Domini Dei tui cum vanitate.

QVID

QVID SIBI VULT TERtium mandatum?

Hoc facta & actiones religionis, & omnem Deo gratum cultum constituit. Sed illa de septimo die edictio, ad ipsam gentem & tempus accommodata fuit. Cum in confesso sit omnino, oportere esse certa quædam tempora, quibus publice conuentus habeantur, & cœtus celebrentur, vt tum & doctrinam audire, & sacra gratiarum actionis offerre Deo possimus, vacui aliis operibus & negociis vitæ, neque vllis communibus occupationibus nos impedientibus. Hoc igitur memorat lex diuina, in timore & caritate Dei fugienda & repellenda esse omnia, quæ à religione nos abducant, quo aut verbi Dei præconium penitus auersemur, aut non accurramus ad ipsum, neq; hoc omni studio dignum esse ducamus. Sic autem prolatum fuit.

Custodi diem sabbatorum vt sanctifices ipsum.

Atque hæc fere sunt quæ comprehendit prima & dextra tabula diuinæ legis.

DE

De mandatis secundæ tabulæ.

SECVNDA autem & sinistra legum tabula, descripta habet mandata de ijs, quæ debentur alijs, deq; omnib. in hac vita honestis & iustis.

QVID IVBET VERO primum?

Huius quidem tabulæ primum mandatum, sed vniuersorum capitum, quartum, docet & subijcit, quo pacto nos gerere debeamus erga præsides, & quorum potestati subditi sumus, siue natura seu legibus, vt pie & placentes Deo vitam degere possimus. His igitur honorem habere, & *beneuolentiam atq; obœdientiam & subiectionem præstare, præcipit, & non contemnere imperium designatum atq; constitutum ab ipso Deo,* neque hac in parte prouocare iram *vnius & solius patris ac domini vniuersorum. Sunt autem ij quos coli lex, & quibus inseruire nos iubet, tanquam præfecti quidam diuinæ gubernationis in terra, parentes, magistratus, domini, doctores, & quicunq; potestatem habent præsidentiæ & principatus aliorum. Et ideo primum locum tenet inter mandata secundæ tabulæ, estq;, vt ait diuus Paulus, primum cum promissione, talis cuiusdam modi.*

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene tibi eueniat.

DICAMVS ET DE RELIQUIS.

SECVNDVM mandatum iubet benefacere alijs, qui nostri sunt ordinis, & ita nos gerere erga eos, vt ipsis prosimus, prohibendo manus nostras à maleficio, & petulantia & iniuria. Neq; sinit lædi aliquem. Vetat autem non modo ne quis facto & manibus suis, sed ne dicto quidem aut cogitatione ac consilio malum alteri struat. Sic autem ait.

Ne perpetres cædem.

TERTIVM est interdictio cuiuscunq; impuritatis & turpis facinoris, & prauitatis & flagitij, & cupiditatis nefariæ, & orationis impudentis. Præcipit autem, vt viri maxime vxores suas, & his, vt maritos diligant, ab alienis vero quiq; vt abstineāt, tam manus quam oculos, quam etiam cupiditatem. Est autem verbis ita expositū.

Non committes adulterium.

QVARTVM excludit omnem violentiam et fraudem à facultatibus & fortunis alterius. Et horta-

hortatur nos vt manum porrigamus & succurramus egestati ipsorum, neue subtrahamus necessarium vsum nostrorum bonorum, quo minus singuli aliquid conferamus egentibus de nostris rebus. Est autem hoc.

Non furaberis.

QVINTVM *linguæ petulantiam & labem interdicens, defendit aliorum dignitatem, & simul iniusta conuenticula calumniarum discutit. Ne quis ausit mendacijs aut alijs artibus lacerare alios, aut quomodocunque infamare aut obtrectando ac conuiciando lædere. Ac potius vt vnusquisq; bene loquatur de altero, & ab eo omnem contumeliam & criminationem propulset, consulens existimationi ipsius, & omnes conatus maleuolentiæ auertens. Pronunciatur autem hoc modo.*

Non eris falsus testis vt dicas testimonium contra alterum.

Atque ita legem cognouimus, prohibentem illam quidem facere & dicere detrimentosa, quæq; alterum

alterum res ue ipsius euertere aut lædere possent, imperantem autem fructuosa. Reliqua autem duo mandata ipsam cupiditatem penitus cohercent, & conformant cor, exigentes ab hoc vt purum & sine peccato sit, quo fiat, non solum vt manus nostræ, sed mentes etiam vt puræ sint. Hac parte conspicere maxime, & cognoscere licet, humanæ naturæ corruptionem, & in hac vita prauitatem inextinctam, bellum enim capitale & prælium perpetuum vrget hoc loco nos semper, vt potiores simus animali & carnali voluntate. Et hoc est spacium religiosi & præclari curriculi, & ita fideliter degitur, donec in hoc corporis tabernaculo peregrinamur super terra. Hoc autem duo illa mandata memorant.

Non concupisces vxorem alterius.

ET

Non concupisces domum, neq; quicquam rerum ipsius.

PLVRA DE LEGE ET PERfectione legis.

Atque hæc sunt capita diuinæ legis per Mosen

promulgata, cum quibus consentit naturale & omnibus innatum iudicium, quod tamen imperfectum scilicet est, & quasi in ceno profundo ingrediens subsidit ac labat. Impeditur enim ac detorquetur crebro germinibus quibusdam exitialibus quæ de prima origine accreuerunt, vt necesse sit etiam proponi scriptam legis naturalis explanationem, quæ diserte diuini legislatoris sententiam ac voluntatem admonendo subiiciat & testetur, & edicat, ne cui relinquatur inobœdienti defensio. Hanc autem legem nullius sapientia adornare melius & accuratius posset, quam Diuus Moses, ac potius Dei ipsius digitus elaborauit. Atque hæc capita ita explicata quidem sunt & proposita à Mose Iudæis, comparata autem vniuersis, qui cum pietate erga Deum saluari vellent, quæ essent indicatio quædam communis debitæ & legitimæ obœdientiæ, itemq; imbecillitatis & confusionis naturalium virium, vt qui cognouissent legis edictiones, & sentirent defectum, ij iam quærerent eum à quo alligarentur, & sanarentur vulnera & vlcera peccati, & sordes eluerentur, & curaretur cognati erga bona odij, & erga mala studij morbus, vtq; circumspicerent lucem qua dissiparentur tenebræ in mente ignorantiæ. Quod autem hæc quamuis obscuriora, confessione omnium, & absq; dubio in mente & cogitatione humana impressa sint, etiam

iam conscientia testatur, secundum sanctum Paulum, tam in accusationibus quam defensionibus. Hæ enim sunt quasi in iure controuersiæ eorum de quibus præmia aut pœnæ constitutæ sunt, id est felicitas aut infelicitas. Itaq; omnes naturaliter expectant de his, si id quod par est fiat, Deo largiente, boni aliquid, & de contrarijs malum, & graues cruciatus, cum aliquid scelerate est perpetratum, & vehementes contractiones doloris sentiunt. Et ille in Tragœdia matricida interrogatus de malo quo periret, respondet, Quod conscientia se perdat, cum sibi nefarij facinoris sit conscius. Et alius quispiam ait, Non fieri male, si sentiat malum ille qui autor sit mali. Et alius etiam, Quod autori scelerum, precium Deus triste atque graue persoluerit. Et Creon apud Sophoclem inquit,

Primum omnium depræhenditur mens occulens
Ea quæ in tenebris perpetrantur turpiter.

Atq; alia innumerabilia huiusmodi tam apud poëtas quam alios scriptores inuenire est, ex quibus hoc Platonicum adhuc, in quo Pindari testimonio usus ille fuit, recitare rectum fuerit, inquit enim, Eum qui in vita reperiat multa delicta sua, cum ut pueros crebro excitari de somno, & expauescere, tum vitam degere cum spe non bona. Si vero qui nullius iniusti facinoris sibi conscius sit, suauem spem adesse semper,

& bonam senectutis altricem, quemadmodum & Pindarus dicat, Quod qui iuste & pie vitam traduxerit, huius suaue cor fouens senectutis altrix sociam adiungat se spes, quæ maxime mortalium multipliciter versatilem sententiam gubernat. Huius autem spei quicquid est, id dependet de confidentia vniuscuiusque, deq; cogitationibus diuini numinis, pro eo atq; hoc beneuolentia erga nos affici, aut iratum esse nobis arbitramur. Cum hoc persuasum sit cunctis, Quod boni benignum erga se Deum experiantur, mali autem contra, hunc infensum sibi habeant. Atq; Tragicus

——— eos qui sunt frugi & boni,
Dij diligunt, odioq; habent contra malos.

Neque homines penes se tantummodo facta ac dicta dijudicant, sed ipsa etiam consilia & cupiditates, vt quæ dictu aut factu inhonesta sunt, eorum etiam appetitiones aut cogitationes turpes habeantur apud prudentes, aut non saltem dementes homines, ferturq; apud Græcos dictum prouerbij loco, Non esse iustum eum qui iniuste nihil perpetret, sed eum qui perpetrare possit, & tamen nolit, & hoc,

Cunctorum prima est cupidum cor caussa malorum.

Hinc & Gygis apud Platonem producitur annulus, & huiusmodi plurima quorundam ex Græcis sapientia proponit. Vniuersis autem hinc quoq;

quoq; , vt arbitror, manifestum futurum sit, quod hæc ita se habeant, Quia si quis animo forte turpiter aliquid concipiat, aut etiam expetat, nisi prorsus impudens & excors sit, non hoc etiam profiteri velit, quia contraria hæc legibus & improba esse nouit. Et qui audent talia proferre, & inuerecunda accusatione indicare inhonestas cogitationes suas, eos cuncti, vt vno verbo dicam, mortales execrantur. Cum autem inquiat Diuus Paulus, Non nouissem cupiditatem, nisi lex (diuinam scilicet significans legem) diceret, Non concupisces, cumq; sit demonstratum, etiam natura insitum iudicium condemnare prauas cogitationes & appetitiones, sequitur hoc nimirum plane, Quod naturæ ius omnino diuinum ius existimandum & appellandum sit. Si autem hoc verum est quemadmodum certe est, quærere aliquis possit, Existimandum ne sit esse aliquod discrimen, inter constitutionem iuris vtriusque, diuini inquam & humani. Et si sit, quodnam hoc perhibere oporteat? Nihil enim ferme omnium quæ honesta & legitima & iusta & sunt & nominantur, fugit eos qui vspiam locorum ac gentium sapientes habiti, & legumlatores fuerunt, cum ductu naturæ regerentur & sequerentur rectam rationem. Quemadmodum & Plato alicubi ostendit, viros bonos si rite educati sint, neutiquam facturos, vt accepto auri argentiue

 deposito,

deposito, fraudare velint alios. Eosdem alienos futuros esse à sacrilegijs & furtis & proditionibus, siue priuatim sociorum, seu publice ciuitatum, Nullo etiam modo perfidos, siue in iuris iurandi seu alijs promissionibus. Adulteria uero & desertionem parentum & neglectionem cultus diuini, in quibusuis potius, quam his repertum iri. Quibus ita à Platone commemoratis omnia ferme decalogi capita compræhenduntur. Hæc inquam, recte dicuntur, & nobis ita habere se videntur. Neque ideo magis expertes peccati Iudæi fuere, quod diuinæ legis perscriptam traditionem accepissent. Non enim admittit Christus iustiaciam discipulorum, si non superet Pharisæorum iustiaciam. Est itaq; diuina legis diuinæ & ad salutem necessaria traditio atque doctrina, & constitutio iusticiæ, interpretatio sancti spiritus, lux diuinitus accensa, Ut non modo ea quæ in lege exponuntur & enumerantur simpliciter cognoscere, neque externam faciem mandatorum tantum perspicere, sed caussam etiam, & quæ interiora sunt, ac vulgus latent, intelligere, & finem etiam ipsum contemplari possimus. Quod iam opus amplius non est, neq; consensionis naturalis, neq; considerationis rationis, sed totum diuinum est, & diuinæ gratiæ donum, quod per spiritum sanctum fidelibus distribuitur. Quo dignati primum Iudæi fuerunt soli, euidenter

illi qui-

illi quidem, & tanquam ex pacto promissionum de benedicto semine, quod in illo populo suis temporibus efflorere deberet. Sic enim ait scriptura, Non fecit ita vlli genti, & iudicia sua non declarauit ipsis. Postquam autem filius Dei Dominus noster IESVS CHRISTVS apparuit in carne, omnes gentes ad societatem Gratiæ huius admissæ fuerunt. De quib. postea accuratius disputabitur.

De corruptione generis humani.

IN superioribus diximus, quod huius legis capita, de qua verba iam fiunt, non sint opinionis, neq; mutabilia, sed constituta natura et æterna, et quæ abrogari nequeant. Qui vero inter homines et fuerunt & sunt sapientissimi ita statuerunt, et statuunt nunc quoq;, cum sint naturalia quædam semina sparsa in nobis, vt id quod debemus faciamus, nos deinceps autores nobis ipsis, vt fructum percipiamus, et beatæ vitæ caussas esse in nobis et similia. Qui autem hęc concludunt, eos fugit vnum quod maximum est, & absq; quo minime aliquis pronuntiare quicquam de his, & veritatem attingere posse videtur. Hæc autem est eius rei de qua verba fiunt, conditio & natura. Sumunt enim omnes, hominum naturam vt per se ipsam integram & sinceram & inculpatam, cum

tamen aliter sit, delapsa hac de prima virtute & conuenientia, impellente peccato ad prauitatem ac corruptionem, detrimentumq; & morbum omnium tam animi uirium quam corporis. Adam enim non dubium est quin iustus & ab omni vitio purus, & penitus inculpatus creatus sit, ita vt in corpore esset partium consensio, & omnia articulate expressa, & in animo excelleret tam intelligentiæ quam sensuum vis, vtque haberet prudentiam perfectam & rationem scientiæ atque consilij de honestis, vsq; adeo vt ne diiudicatione quidem indigeret bonorum & malorum, quod consideratione & cognitione & voluntate in bonitate versaretur continue. Cumq; esset nudus à vestibus, ornabatur indumento preciosissimo caritatis Dei, ne conspiciens quidem nuditatem suam, vt animaduerteret scilicet aliquid in hac turpitudinis aut deformitatis. Non enim attigerit vnquam honestatem, id quod pudendum est. Qui autem intuetur Deum is nihil nouit nisi pulcritudinem & honestatem. Ita ille igitur & vitam beatam degebat, & immorans iucunditati diuinæ obœdientiæ, maiorem quam dici possit oblectationem percipiebat. Deceptus autem atq; seductus à muliere per serpentem, & transgressus mandatum Dei, corruptus fuit tam habitu corporis, quam animi affectione, & in alium quendam hominem euasit, miserum atque ærumno

ærumnosum, infelicissimum, ingenio abhorrente ab omnibus quæ Deo *placerent, à quo & extorris actus & eiectus fuit è paradiso, cum terra propter ipsum execrationi, ipse vero in huius malignitate, laboribus & defatigationibus subijceretur. Istius autem talis patris nos omnes sumus proles, natura similes procreatori, improbi tam corpore quam animo, procliues ad vitia, segnes ad laudabilia, peruicaces, futiles, in peruersitate mentis cordisq; & appetitionum, & vt semel dicam, peccatores. Non satis idonei ad vllum opus bonum, & iusticiæ atque omnis virtutis quæ apud Deum in precio est, & quam hic expetit atq; amat, expertes ac vacui. Per vnum enim hominem (inquit* Diuus *Paulus) peccatum introijt in mundum, & per peccatum mors. Et nos soboles iræ facti, & pro caritate Dei odium illius adepti sumus. In quo omnia iam mala insunt. Scire igitur oportebat, Quod cuncta quæ statuuntur iudicio hominum, quæq; concluduntur ab his & geruntur, cum referta multis & varijs erratis, tum fluxa & futilia sint. Cum cogitatio specie multiplici semper conturbetur, & suspicetur illa quidem aliquid de vera & æterna natura, sequatur autem hanc quasi in somnis effugientem. Voluntas vero & consilium prorsus tendat alio, & haud quaquam quo oportebat, ad præcedentem rationem qualemcunq; hanc sane,*

se adiungat. Sunt enim adhuc, vt sensuum, ita & cognitionis atq; actionum efficaciæ, initia penes nos. Nam homo ad similitudinem factus Dei, non penitus pessumdatus à Conditore interijt, sed deprauatus est, & alienauit ab illa imagine seipsum, & priuauit primæ originis recta conditione, quasi detortus & claudus & debilis iam factus, atque etiam cæcus, si minus oculis, at mente profecto. Initia tamen illa quidem nihilo minus manent, sed cum manca sunt, tum hebetia & confusa, vt de veritate suspicentur sane aliquid, prorsus autem perspicere quicquam nequeant. Et similiter vt honestæ quidem actiones aggrediantur, nihil tamen promta elaboret cupiditas, vtq; adeo ipsa iam sit prudentia quodammodo imprudentior. Non igitur sententiam legislatoris cognitio humana perfecte depræhendere, neq; obtemperare præceptis, neq; mandata exequi iam possit vllo modo, tam longe à diuino consortio repulsa. In ijs autem quæ ad finem pertinent, maxime fallimur, aberrantes omnino à voluntate legislatoris, & quiduis potius spectantes, quam id cuius caussa lex lata fuit. Quid enim quærunt aliud homines, quam propriam cum prosperitatem atque successus, tum felicitatem, aut cui curæ est legislatoris honor & gloria? simpliciter quidem & directe? Quisúe studet facere laudabilia & fugere vituperabilia, ideo quia persua-

sum

sum ipsi est, hanc esse Dei voluntatem? vt ita in timore ac fide huius respectu elaboret mandata, & abstineat à vetitis. Vt semel igitur dicam, Ab ijs quæ diuina lege siue scripta seu non scripta edicuntur, humanæ effectiones infinito spacio absunt, sed potissimum in his tribus. Quod non assequantur sententiam legislatoris. Quod non intente spectent mandatorum finem. Quod ipsum legislatorem negligentes, prorsus tandem oculos ab illo auertant, & ex ipsius operibus agnitum, secundum sanctum Paulum, non glorificent. Quando enim sagacitas humana adorauit venerans & timens DEVM, *vnum mundi Dominum & conditorem & gubernatorem omnium, qui tulerit has leges ex sua bonitate & sapientia propria. Immo vero hinc absunt plurimum. Quis autem finem eorum quæ legitime fierent, non docuit esse priuatam commoditatem vtilitatemùe aut dignitatem, siue honesti seu iusti, seu alio quocunq; nomine exornans, quisùe omnem præceptionum vim & robur attribuit voluntati & celebrationi diuinæ? Tertio, quænam excogitatio humana demonstrauit? Quod omnia absoluta & perfecta requirat lex, quæq; eo tendant & deducant vt reperiatur adiumentum quoddam, à quibus confirmatus iam recte aliquis cogitet de mandatis, & officium in exequendo omnia præstet.*

Quod-

QVODNAM IGITVR ADIVMENtum ad hæc aliquis poterit inuenire?

Prædictum iam est, quod læsis vniuersis viribus humanis per peccatum, neq; integra natura remanserit, neq; sincera mens, neque consilium purum, neque prudentia, Remansit tamen nihilo minus cum natura tum mens, tum etiam consilium & prudentia. Itaq; & scimus & cognoscimus, & cogitamus & ratione vtimur, & ex sententia animi agimus aliquid, sed hoc est imperfectum & inelaboratum, deformeq; & vitiosum propter peccatum. Est tamen conseruatum tam erga Deum pietatis, quam ad homines honestatis & probitatis, quam etiam omnium quæ religionem & laudem habent, iudicium, nec non consideratio & cognitio & incitatio cum impellens tum retrahens. De quibus quidem vniuersis hoc modo quantum in ipsis est, lucrifacimus, vt à Deo longius atq; longius recedamus, semel in autore generis parente primo eiecti è paradiso, & vt iræ subijciamur reiq; fiamus mortis. Nemo enim per se ipsum potest reuerti & rursus irrepere illuc, vnde prolapsa est prima naturæ origo. Collocauit enim, inquit, Cherubim & flammiuomum ensem à quibus custodiretur via ad lignum vitæ. Omnis igitur tam cogitatio quam voluntas & actio propria nostra, cum sit

carnalis

carnalis & priuata diuino ſpiritu, & circumuenta à Diabolo, errat in ignorantia Dei in hoc mundo, itemq; in contumacia & omni improbitate, cumq; prædita ſit ſenſu carnis, non admittentis dictata ſpiritus diuini, ad Deum non appropinquat. Carne enim & anima omnes homines naturaliter conſtant. Carnis autem ſenſus odium eſt ad Deum, nam legi Dei non ſubditur, non enim poteſt, inquit Paulus. Atq; hi captiui ducuntur à lege peccati. Ita igitur homines & agnoſcunt Deum & ignorant. Et capita legum tenent & non tenent. Agnoſcunt enim ipſum ſecundum æternam potentiam ipſius & diuinitatem, non glorificant autem agnitum, ſed euaneſcunt in ſuis cogitationibus, non enim nouit mundus in ſapientia per ſapientiam Deum. Capita autem legis quomodo non teneant? quæ in cordibus ſuis inſcripta habent. Cum autem non perficiant bonum ſed malum potius, dici poteſt eſſe hanc inſcitiam, ſed voluntariam. Nam capita legis quæ ſunt bona & vtilia, ſcimus & nouimus vniuerſi, non elaboramus autem, non modo præ inertia aut voluptate, vt ait Euripides, ſed præ ignoratione etiam quadam, turpiſſima illa quidem & omni ſupplicio digna, ideo quod in maxima negligentia verſamur, & vitam degimus ſtolidam, neq; cura tangimur diuinarum præceptionum, neq; ſpiritus ſancti ſubiectiones in ſacris

cris

cris scripturis peruestigantes, neq; in lege Dei occupantes meditationem nostram die noctuq;, secundum Psalmographum, sed potiorem ducimus alij aliam vel sapientiam atq; cognitionem, vel opinionem atq; persuasionem. Quam plurimi autem etiam repudiant diuini spiritus disciplinam, & ipsius ignem accensum animis extinguunt, neque vllo modo assentiuntur veritati, vel altercando & exagitando & odio manifeste illam prosequendo, vel disceptando aduersus hanc, & sophistice insultando. Vtriq; autem hoc certe dicunt Domino, Recede, vias tuas scire nolumus. Quemadmodum enim eorum quę ad corporis bonam valetudinem sunt accommodata, nullus vsus est ijs qui auersantur aut despiciunt, quiue intemperantes sunt, sic etiam ea quibus animus curatur neque vtilia sunt, neque prosunt quicquam, nisi & cognoscantur & amentur, & applicentur laboranti cuique parti. Doctrina autem absoluta est diuinæ enarrationis & interpretationis, ipso Deo cum sanctis patribus ab initio versato, qui etiam singula explanauit, quæ illi diuinæ disciplinæ tradita, docuerunt sobolem & familiam suam, instituentes hos veritate & pietate, & virtute perfecta. Hæc disciplina cum initio esset rectissima, paulo post quod indulgentius custodiretur deflexa & detorta fuit, inq; hominum crescente super terra multitudine, ad

magnam

magnam absurditatem & falsitatem apud omnes propemodum gentes deducta est, neque minima hæc diluuij caussa fuit. Post quod rursum celerrime falsæq; opiniones & defectio, & mala omnis generis emerserunt in hominum vita. At Deus ne tum quidem neglexit correctionem, sed cum ipse autor magisterq; extitit doctrinæ, locutusq; fuit cum illorum temporum patribus, tum missis deinde prophetis, id est interpretibus æternæ voluntatis ac sententiæ suæ, ita tandem postremis diebus ad omnes homines & vniuersam creaturam locutus fuit, in filio, quem constituit hæredem omnium, & per quem sæcula quoque condidit, inquit autor Epistolæ ad Hebræos. *Et nunc scimus, Quod diuinum consilium atq; voluntas, quatenus quidem visum fuit Deo patefacere, & quicquid ad salutem necessarium est, & capere humanæ cogitationes potuerunt, hoc nimirum vniuersum sacris scripturis, tam Mosis quam aliorum apud Hebræos doctrina præstantium, & plenorum numimine diuino, & quibus prophetica gratia ac dignitas contigisset, librorum compræhensum & definitum, & deinde perfectissime tractationibus apostolicis tam expositionũ quam epistolarũ, quas publice et priuatim ad aliquos elaborarunt, explanata et euidentissime explicata sunt omnia. Quib. quidã quasi Colophon impositus fuit, verbi diuini & cele-*

& celestis doctrinæ & veritatis interpretationum perscriptæ perfectæq; & immotæ ac inconuulsæ traditioni & præconio, & prædicationi & præceptioni, vt studio iam piorum ac timentium Deum omnia præparata & in promtu sint quæ ad salutarem diuinæ veritatis & sapientiæ comprehensionem ac cognitionem ducunt, & vt soboli contumaciæ & contentionis nulla defensio, quam prætexant, relinquatur, cum non auscultarint mandatis Dei, quæ & insita animis ipsorum & scripto etiam exposita essent, quodq; neglexerint doctrinam, & interpretationem diuinam, neq; studuerint cognoscere quæ nescirent, neque secuti fuerint ductum itineris tendentis ad veritatem, vtq; propter hanc siue ignorationem, seu peruicaciam, seu incuriam, seu improbitatem, rei sint æternis supplicijs & horribili iudicio Domini nostri IESV CHRISTI, *cui sit gloria & potentia & regnum sempiternum, Amen. Habemus ergo auxilium succurrens infirmitati nostræ, & instaurationem peruersitatis & corruptionis naturalis, & confusionis restitutionem, in verbo Dei & celesti doctrina, & diuini spiritus scripturis. De quibus & in sequentibus magis opportuno loco dicentur cætera.*

Quærere autem aliquis fortasse possit, Quomodo dicamus omnia hæc constare natura, cum apud multos contraria in more sint, vt cultus simulacro-

mulacrorum, & scortationes apud aliquos, & adulteria apud Spartiatas. Quæ ciuitas habita scilicet fuit pro ea, quæ præclarißime legibus constituta esset, & celebrata laudibus à plurimis. Sed *quæ naturæ propria sunt, ea semper eodem modo se habent, & non variantur, vel temporibus vel locis vel quomodocunq; transmutata. Dicimus itaq; legis capita insita esse omnibus hominibus, & hæc præscriptio deleri nequit. Inscriptæ enim erant, inquit, ex vtraq; parte, hinc & illinc. Per contumaciam autem ita corrupta fuit natura tota, vt confringerentur illæ in animo tabulæ, hoc est, vt capita legis conturbarentur, & opus esset vt Deus alteram sculpturam elaboraret.* Nemo igitur ad tantam improbitatem vnquam *defertur, ut quamuis contra legem diuinam ausit patrare aliquid aut introducere, non cogatur statim confiteri, non esse hoc rectum, & quod præstaret obœdire legi diuinæ, si quis illum de his admoneat, siue Deus, quemadmodum fieri solet, ostendat tabularum legum veluti fragmenta in animo ipsius. Est autem hoc supplicium grauissimum, non intelligere peccantem quantum peccet.* Et *hæc est reproba mens, de qua scribit S. Paulus,* quod Deus *impios tradiderit menti reprobæ, ad faciendum quæ non oporteret. Et quod faciant, quæ facientes sciant mereri mortem. Nam Lycurgus haud adeo* vt opinor, *audax os habuit &*

impudens, vt diceret laudari à se adulterium. Neque Lydi suas virgines paterentur scorta per contumeliam appellari. Neq; boni consuluisset Achas si quis eum cultorem simulacrorum vocaret. Verum in huiusmodi omnibus, Animus quod attinet ad res diuinas laborat, in quadam vesánia vel dementia, quemadmodum ægroti interdum bile perciti, de rebus humanis perperam aberrantes animis statuunt. Sed hæc iam maioris & accuratioris sunt disputationis & exquisitionis.

QVIS SIT VSVS LEGIS, ET *de transgressione.*

Quod Diuus Paulus dicat, legem efficientem esse iræ, & introijsse vt abundaret peccatum, & propter ea quæ superius sunt commemorata, amplius quærere fortasse aliquis possit, Quinam igitur legis vsus sit? Primum itaq; sciendum. Legem, quia nihil aliud sit quam edictio voluntatis diuinæ, ita fore descriptionem comprehendentem capita eorum quæ honesta sint, & Deo grata, itemq; contrariorum, turpium, & quæ Deus odit. Qui igitur custodit legitimæ iusticiæ præcepta, ei præmium et merces reposita est in die iusti iudicij, quando redditurus est Deus vnicuiq; id quod debetur factis ipsius. Supplicium autem & ira manet perpetratores mali. Omnino enim seruari

scilicet

ſcilicet hæc Deus *vult, & non reperit defenſionem quiſquis tranſgreditur, vt diximus (loquor autem de capitibus decalogi, quæ inſculpta ſunt animis hominum) Quandoquidem non modo paruipendentes diſertas conſtitutiones illas, ita delinquunt, neque ſecundum ductum rectæ, vt videtur, rationis, pergunt ad virtutem, quorum ſunt præmia & pœnæ propoſitæ facientibus, apud omnes propemodũ homines: verum quia hi etiam non percipiunt voluntatem legiſlatoris, aut nolunt hanc ſequi, aut non poſſunt aſſequi quoq;. Omnium enim horum cauſſæ in nobis ſunt. Ac quod nos ea quæ omnes, vt ita dicam*, mortales, honeſta *aut* turpia *eſſe* cenſent, in poteſtate *noſtra habeamus*, perſuadeat licet *vnicuiq; Ariſtoteles, aut alius quiſpiam qui hæc diſputat Philoſophus, perſuaſerit tamen vtcunq; ſane. Nam animaduerſa minus ingenita labes naturæ ab his, ea quæ concluduntur vitioſa reddit.* Itaque *Plato cum non reperiret quid ſtatueret in conſideratione humanæ improbitatis, cumq; quæreret originem bonorum ac malorum, confeſſus fuit, Malos eſſe malos propter duo contraria maxime voluntati, quorum cauſſam ſuſtinere potius deberent procreantes quam procreati, & educantes quam alumni.* Hic *ſane quamuis non intellexerit, obſcure ſignificauit aliquid de naturali defluxu primo creati hominis in poſteros, complecten-*

te malorum omnium caussas. Quemadmodum & vbi efficere hoc conatur, Quod nemo sit sua sponte improbus. Non tamen hoc *etiam concedendum est, scelus committere & impios esse, & patrare turpia malos homines inuitos, eorum instar quæ dicere solemus violenta contentione fidicularum distrahi. Propriæ enim sunt vniuscuiusque actiones, & harum illi autores. Cum autem humana sapientia non consentiat de his, quæ sub nostram intelligentiam cadere videntur, & cum modo hoc, modo illud statuat, vix scilicet discernere hæc & perspicere poterit, voluntatem Dei & propositum & mentem, in ijs quæ arcana sunt & secreta, & incompræhensa ab omni sagacitate & scientia humana, quæ quidem non regatur neq; illustretur verbo Dei. De virtute igitur diuina, hoc est Deo grata, nec non illi contrarijs vitijs, alia disputandi via ingredienda fuerit.* Non enim oportet eos qui de *his cogitant, quasi in familiari sede rationis humanæ acquiescere, sed vestiganda oculis & circumspicienda est diuini verbi explanatio, sola illa declaratrix veritatis. Quoniam vero verbum Dei & ab initio prolatum, & in Mundo sine intermissione celebratum fuit ac sonuit, & tandem ab ipso filio Dei, quæ est persona æterni verbi, quod suo tempore carnem assumsit, lætum nuntium hoc allatum, & perscripta illius explicatio*

& consti-

& constitutio publice edita fuit: Restat, vt qui iam nolit intelligere, neq; diuinæ voluntati obtemperare, vt impius & sceleſtus, & infidelis haberi debeat & sit, super quo maneat ira Dei. Quare manifeſtum fit, omnium qui non saluantur, vnumquemque proprij interitus sibi ipsum esse autorem, impulsum illum quidem & superatum à Diabolo, à quo prodijt peccatum in mundum, quod inuidus esset & peccaret ab initio. Et ideo qui perpetrat peccatum ex Diabolo est, vt ait sanctus Ioannes. Committitur itaq; scelus siue peccatum, incitante quidem & hortante, & instigante & impellente Diabolo, sed tunc animus humanus decipitur & obœdit, & potiora ducit deteriora, & procliuis est ad delinquendum, & is est qui euertatur facile ac vi expugnetur. Accidit enim in his plane simile quiddam oppugnationibus. Quemadmodum enim ibi non ad firmas & munitas partes mœnium accedunt oppugnatores, sed vbi arbitrantur muros esse fluxos, aut fossas planiores, aut incustoditas turres, eo omnibus copijs tendunt, & introgressi capiunt vrbem: sic etiam Diabolus, perpetuo insidians hominibus, quicquid senserit molle & cedens & male affectum in animo, hoc adoritur, & eo omnes admouet machinas, & si nemo defendat neq; resistat fortiter, non etiam nunquam præsidio quod intus est non sentiente, in neglectione custo-

diæ & incuria, ita animum expugnat. Vbi autem per portas remittentis naturæ aut aditus & pontes aliquos introrupit semel, de cætero iam populari, & incendio ac cædibus vastare, & diripere infelicem non cessat. Machinationes autem sunt ipsius, abductiones à vero, & deductiones ad falsum, & turpium atque nocentium cupiditatum flammæ. Cum enim non resistit animus fortiter fraudibus et maliciæ mendaciloquentiæ, facile capitur, atq; ita in cliuum maxime in ipso manantium, fontis instar, cupiditatum protruditur, patranturq; tunc facinora impia & impura & obscœna, & quæ alia fieri consentaneum est, in animo subiecto tyrannidi diabolicæ, & in officina omnis improbitatis. Sic capta fuit in satore generis humani patre natura tota, & principi iniusticiæ in hoc mundo seruit, subiugata per peccatum. Et absque liberante & redimente nunquam poterit eripi à malis & interitu. Liberatio autem & redemtio est veritatis per verbum Dei. Ita enim inquit ipse sermo filius Dei, Iohan. 8. Si vos manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem & veritas liberabit vos. Habet autem in potestate sua diabolus validus ille & armatus custodiens atrium suum, maximam partem mundi, cuius eum & principem nominari scimus. Quæq; tenet in pace sunt, donec victus spolietur à validiore. At multitudo in

mundo hominum, illius pacem amplectens libenter patitur subijci se tyrannidi diaboli, & illam copiam ac prosperitatem plurimi faciens, sua sponte illi subditur, propterea scriptum est in secundo cap. epistolæ Iohannis, Si quis diligit mundum, non est in illo dilectio patris. Et CHRISTVS *dicit, se dare discipulis suam pacem, non quemadmodum mundus det. Et narratur de hoc tale quiddam. Quidam fidelis ex eorum numero qui in sola loca secessissent de ciuili & promiscua turba, ad exercitationem religiosæ virtutis, cum aliquando iret ad vicinam vrbem cellæ suæ, quocunque sane vsu hoc postulante, fortasse textam fiscellam aut corbem deferens, quo vendito panem emeret.* Hic itaque dum illo itinere per *habitationes monachicas transit, cernit vndique tanquam examina quædam diabolorum volitantia, cum strepitu & stridore circum eos qui ibi manerent. Postquam autem appropinquasset ad vrbem quæ & plena simulacris & pessime constituta, & omnibus vitijs referta esset, sublatis oculis vidit vnū tantum spiritum immundum super alta turre quasi in specula residentem. Quod cum miraretur, neq; decernere secum posset, quidnam hoc rei esset, corroboratus fuit fide, & exorcissato in nomine Christi diabolo, iussit eū eloqui, qui fieret ut ipse solus seruaret in vrbe impiorū? cum tam multi uersarētur in illis solis locis neutiquā ociosi.*

At hic tali ſibi admota neceſſitate, dixit: Nihil opus ibi pluribus, ſed ſatis eſſe aſſiduo vnum aliquem ſeruare & ſpeculari tantum quo in ſtatu vrbs eſſet, néquid incolæ nouarum forte rerum molirentur. Iampridem enim occupatam eſſe vrbem à ſeſe, & in profunda pace poſſideri. Sed conuentus illos ſolitarios ſtudij & apparatus & operæ multum indigere, ideoq; ibi vt in bello tantas fieri expeditiones. Vigilare oportet igitur eos quibus ſalus ſua cordi eſt, & ſobrios eſſe, & animum ad verbum diuinum aduertere. Nam diabolus aduerſarius noſter, inquit ſanctus Petrus, tanquam leo rugiens obambulat quærens quem deuoret. Poſtquam autem hunc totum iam genus humanum deuoraſſe manifeſtum eſt, adeo vt in ſacris litteris princeps mundi, & Deus ſæculi huius, & alijs ſimilibus appellationibus appelletur, nimirum ille iam ſolos ereptos quaſi de faucibus, & reiectos diuino beneficio de ventre ſuo, ſicut de ceti ventre Ionam rediſſe ſcriptum eſt, denuo indagat, & venatur, & his inhiat, quod fames huius vehemens ſit exitij ſemel vniuerſorum. Alijs, vt poteſtati & ditioni ſuæ ſubditis cum dominetur, non parceret ne momento quidem qui funditus peſſundaret cunctos, niſi miſericordia clementiſſimi Dei conſeruaret hos quoq;, qui longanimus eſt erga peccatores, neq; vult interire vllos, ſed ad pœnitentiam peruenire. Vnusquiſq;

quisq; igitur salutem suam donec tempus est, elaboret, alius cauendo ne excidat è gratia & caritate Dei, alius qui euersus fuit, aut adhuc à diuino iure alienus est, tanquam in aluo orci clamet ad DOMINVM, *& oret, vt educat de corruptione vitam ipsius, & non procrastinet neque cesset, neque diuitias bonitatis* DEI, *& tolerantiæ, & longi animi despiciat. Si forte largiatur ei Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis, & ipse, vt ait Apostolus, resipiscat de laqueo Diaboli, captus ab hoc quasi in prælio viuus ad arbitrium ipsius. Quicunq; autem sentit impetum affectionis impiæ, & cupiditatis malæ, & consilij iniusti, is sciat hostem illum tum adoriri se, & vrgere vt in exitium præcipitetur, vt celeriter in peccato aliquis seipsum interimat, & non viuat elaborando iustitiam in timore* DOMINI. *Quemadmodum enim si videas arborum frondes concuti & moueri folia, statim animaduertis inspirare his ventum, quamuis hic ita alicunde irruat, vt cerni non possit: sic etiam de animi istis consternationibus & horrore, non ignorandum, antecedere flatum quendam & incitationem diaboli, miseros homines & procliues quidem ad parendum mendacio, non obœdientes autem veritati, adigentis ad mortem æternam & gehennam. Horum instructionem, ô pueri carissimi, suscipite nunc gratias agentes Deo, cuius bonitati*

placuit, vt dignaremini tam opipare instructis epulis sermonum veritatis, quibus haud scio an multis retro ætatibus humanæ res non potitæ fuerint, nostræ certe rationi illæ nequaquam contigerunt.

Ac si qua obscura sunt quodammodo, & callida atq; varie à quibusdam explicantur vel probationibus, quæ de scripturis petitæ esse videantur, uel rationis acrimonia & vi abutentibus, ea omittamus. Nihil enim necesse est nos perquirere profunditatem diuitiarum sapientiæ & cognitionis Dei, cum iudicia eius sint inscrutabilia, & viæ imperuestigabiles. Sed quæ patefacta sunt & declarata, ea apprehendamus & teneamus, & ne inhiantes remotis quibusdam, prætereamus negligenter ea quæ ante pedes sunt & propinqua. Mirifice enim bene & prudenter dictum est etiam hoc à Salomone, Comedere multum mellis non est bonum, Et fore vt vestigator maiestatis obstupescat à gloria. Alius quispiam subiecit & hoc valde vtiliter: Difficiliora te ne quæsieris, & validiora te ne exquire. Quæ iniuncta sunt tibi, hæc cogita. Hoc igitur iniunctum est omnibus nobis, Audire sermonem Dei & seruare eum, & facere voluntatem ipsius. Quoniam vero abunde & copiose datur nobis cognitio, considerandum hoc quoque, futurum vt multum requiratur de nobis. Et Deum qui multum credidit, plus etiam repe-

repetiturum esse. Seruus autem qui nouit voluntatem Domini sui, neque præparat & efficit ea quæ pertinent ad voluntatem ipsius, vapulabit multis.

Reuersi igitur ad superiora dicimus, quod hæc gratia simpliciter loquendo, debeatur legi, vt agnoscantur peccata. Quæ enim illa prohibentur, ea si quis designet, quæq; iubentur si negligat, iam vt iniustus & dignus supplicio condemnatur vnusquisque, ipse quidem à sese, quamuis alius sententiam nemo ferat. Est autem & hoc manifestum, Quod etiam concepta animo tantum prauitas non probetur nobis, naturali nimirum intelligentia. Ac si procliuitate ad vitia superati, turpitudinis aliquid perpetrauerimus, aut saltem de hoc consilium cœperimus, mox considerantes tristicia afficimur, alius sane alio grauiore. Quod si inter hæc etiam Deum ipsum autorem legis esse & constitutorem, obseruetur, Maiorem tum dolorem quam dici possit, & trepidationem & conturbationem sentimus, vsq; adeo, vt interdum tantum non prorsus immoriamur deficiente animo & vrgente desperatione, in conscientia tot numero & tantorum magnitudine peccatorum, & anxietate atque expectatione miseriæ, quam sustineamus pro delictis. Neq; terrent animum atque affligunt ea solum quæ commissa sunt, sed cessationes quoque

& ne-

& neglectus sunt molesti. Negligens *enim & deses tantummodo seruus eijcitur in tenebras tanquam inutilis. Qui vero tunc cogitant, legem esse diuinam & spiritualem, & sanctam,* atq; *ideo similia in nobis exigere, neq; sufficere id quod aliquis forte præstari potuisse dicat. Hos igitur corripit terror & mœsticia ingens, vt mors etiam non nunquam expetatur, versante ante oculos iusto iudicio Dei. Qui nihilo secus vult seruari edictiones, & præceptiones suas elaborari, quamuis aliquis neget esse suarum virium, vt omnia secundum illius sententiam perficiantur. Neque hic contentus est externis actionibus, sed eas requirit,* quas *mandauit ipse, non quas propria sententia alicuius* forte approbauerit. *Quæ autem prætenditur deficientia virium, ea vt cognata vitiositas & prauitas, nihilo secius iudicio Dei, & maximis supplicijs obnoxia est. Hæc qui solicite considerant,* eorum *mentem ingens solet corripere perturbatio.* Et *splendidæ atq; gloriosæ philosophiæ disputationes, quo pacto omnia à natura disponantur, deq; perfecta virtute & liberatione atq; repurgatione, deq; cognatione cum Deo, quodque sit impetus quidam animæ pecularis, quem sequens illa possit ex his fluctibus, in quibus iactatur* eripi *ac liberari ab omni deformitate & vitio, secundum Platonem, credens nemini alteri nisi sibi ipsi, de eo quod commentata fuerit ipsa per se,*

per se, quod ipsum est per se. Hæc igitur tunc & his similia scite & concinne & venuste pronunciata, penitus euanescunt, dissipata à conspectu iudicij diuini, non aliter quam auiculæ, cum sentiunt vulturis inuolantis aduentum, Quis enim non in conturbatione subter terram demergi se optet præ formidine, audiens, aberrasse nos & pollutos atq; impuros esse, vt iusticia nostra vniuersa nihil differat à pannis immundæ mulieris, vt ait Esaias? Et, solum esse bonum & veracem Deum, omnes autem homines mendaces, & alia huiusmodi. Cum autem dicit, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te quisquam omnium qui viuunt. Quis iam consistet, & hæc crimina sustinebit? nitens virtute & iusticia propria. Quem autem non retundat ista præcisio? Cum feceritis omnia quæ iniuncta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, id fecimus quod facere debuimus. Itemq; propheticæ abiectiones, Non esse iustum quenquam, ne vnum quidem. Non esse intelligentem, non esse qui Deum quærat. Omnes declinarunt, inquit, pariter inutiles redditi sunt. Non est qui exerceat benignitatem, & cætera. Quis omnium mortalium facit quæ debet omnia? faciamus, facere aliquem & inseruire pro officio: quid magnopere profecit? cum maneat seruus inutilis. Deo autem an non nauseam factura talis iusticia esse videatur? qualem pro

lem propheta humanam perhibet. Iam cum omnes redditi sint inutiles, nimirum apud Deum in precio futurus eſt nemo. De hoc & narratio quædam popularis memoratur, plane indicans id quod de ſtudio ſalutis vſu venit, fertur enim vnum ex doctoribus eccleſiaſticis & paſtoribus populi, virum ſimplicem & fidelem, religioſæ veritatis præconem, Hunc igitur concionantem dixiſſe fertur, cum vellet oſtendere, quam eſſet infirma & futilis effectionis, & expers virium natura noſtra ad ſalutem: Si quis ſaluationem tale quiddam eſſe affirmet, eum non aberraturum à vero, vt ſi ad montem excelſum cuius faſtigium in celum tendat, reſidens aliquis mancus, & eneruatus, neceſſitate vrgeatur vt ſuperet progrediendo montem, poteſtas autem ſuppetat nulla, vt vel prorependo pergat, nedum vt procedendo faſtigium montis tranſeat. Quod ſi ipſe deſperata re inops conſilij ibidem inſiſtendum eſſe ſtatuat, rurſum neceſſitas ipſi admoueatur, & fieri aliter nequeat quam mons ille vt ſuperetur. Sic inquit, omnibus etiam nobis propoſitum eſt ad ſalutem, vt ſeruemus mandata Dei, & ſentimus ac ſcimus non poſſe pro voluntate ipſius nos hæc exequi, neque minus tamen facienda & elaboranda ſunt omnia.

DE

De doctrina salutis, quod est Euangelium.

QVo tandem igitur deferemur, aut quomodo saluabimur? Nunquid vniuersi simul interituri sumus? Minime nos quidem interituri sumus vniuersi, sed saluabimur potius obtemperantes verbo Dei & obœdientes sermoni. Nam diuinæ literæ vbiq; Saluatorem nominant Deum, cunctorum quidem hunc quodammodo, sed fidelium simpliciter. Ac scriptum est perspicue, Quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. De hoc igitur iam dicendi tempus, *omnia enim quæ supra dicta, & alibi commemorata sunt, ea nihil afferunt prorsus vtilitatis, non adiunctis his, perinde ac si quis de ciuitate fortunata, aut agro fertilissimo multum cum aliquo collocutus, nihil explicet veritatis neq; de situ, neq; de via qua aditus sit, neque de ratione incolendi aut parandi, ac potius, quod neq; accedere neq; assequi quisquam possit, & alias plurimas difficultates enarret. Nam hic nihil quicquam profecerit, ac fefellerit tantummodo illum, aut studiose eluserit, aut extrema molestia atq; desperatione cõpleuerit. Cũ igitur in supra dictis annotatione nostra indicatum auxiliũ sit, conantibus nobis considerare quæ esset legis perfectio, illuc nũc reuerta-*

reuertamur. Et sine dissimulatione dicamus, quod proprijs viribus & suis, nemo omnium hominum possit perficere diuinas præceptiones. Et ideo *Christus pronunciat hominibus salutem non* esse *parabilem. Proinde relinquitur veritatis salutaris sermo, & diuina gratia curans nos & ad Deum nobis iam propitium redditum adducens. Et hæc est secunda doctrina, & nouum pactum, & altera præceptio, per quam ab initio genus nostrum eripuit* de *morte sermo Dei. Et hoc ipsum Euangelium est regni Dei, cuius per verbum participes & hæredes, omnes qui verbum suscipiunt, & in illo filij Dei fiunt adoptione, quemadmodum Iohannes ait,* Quicunq; *susceperunt eum ijs dedit potestatem, vt fierent filij* Dei, *credentibus in nomen ipsius. At verbum hoc est æternum, Ergo est Deus ipsum quoq;. Hic igitur est filius* Dei, *qui semper pro genere humano fuit supplex &* intercessor, & deprecator, *qui & placauit iram patris, & illi reconciliauit miseros, sanctificationem & hostiam atque sacrificium ipse se ipsum offerens, & tradens pro hominibus. Hoc verbum Dei semper fuit, & veritatem* de Deo *patefecit mundo, & accenso lumine in tenebris demonstrauit vitam. Huius interpretationes sunt doctrinæ pronunciatæ à patribus, regibus, sacerdotibus, Prophetis. Hic est qui Adamum præcipitatum in mortem per peccatum, eripuit ex inferno,*

ferno, promissa victoria aduersum tunc victorem anguem, à se homo cum factus esset. Hic est qui iustum Nobam in arca conseruauit. Hic est qui apparuit Abrahamo, & de semine benedicto, quod futurum erat vt ipse existeret, prædixit. Hic est qui Lotum de exitio Sodomorum liberauit. Hic est qui locutus fuit cum Mose, & iussit educi Israëlitas ex Aegypto. Et ne deinceps omnia enumerare conemur, Hic est vnicus interpres sapientiæ, & Dux copiarum Dei, fuitq; cum hominibus semper. Hic homines edocuit veritatem de Natura & voluntate Dei, promissa sua in carne temporibus opportunis præsentia & curatione in terra. Est autem doctrina hæc. Deum esse vnum & indistractum & immutabilem & inuariabilem & æternum, cuius sint tres hypostases, id est proprietates seu personæ, patris & filij & spiritus sancti. De quo scilicet postea plura dicentur. Sed voluntas huius est, quemadmodum omnia condidit per filium, ita etiam reparare per eundem quæ perierant, & resuscitare quod collapsum fuerat, & sanare morbo correptum, & reformare corruptum. Et hæc est doctrina fidei, non executionis operum secundum designationem legis. Nihil enim definit de operibus, quibus peractis aut omissis felix & beatus fieri aliquis possit, sed iubet tantum misericordiam Dei appræhendere, & audire loquentem

D Dominum

Dominum, & credere, quod verbum æternum filius Dei Deus vnus sit & solus saluator omnium, quicunque accipiunt salutem quæ distribuitur, neque refutant donum Dei in fiducia erga ipsum. Oportet autem eum qui salutẽ consequi debeat reperiri in hoc conuentu fidelium, & non abalienare se à diuina gratia & beneficentia filij Dei, & consolatione sancti spiritus, aut ita vt prorsus infidelis sit, aut in fidei imbecillitate secure & negligenter perseueret. Quemadmodum autem vetus legalis pacti constitutio, cum formidine & operibus coniuncta, obiurgatrix est & pœnarum exactrix, ita noui cum fide & caritate, consolatrix est & absolutrix, ista semper & fuit & erit vera pietas honorq́; & cultus Dei. Aliæ autem religiones vniuersæ, tantum abest vt placeant Deo, vt nihil ad iram prouocet magis omniũ quam illæ. Nemo fuit autem vnquam, neq; futurus est gratus Deo, nisi in communitate huius pacti, & extra hoc saluari nemo poterit quisquam. Fuit autem scilicet hæc doctrina occultior & secretior, antequam verbum Dei carnem assumeret, & coram cum hominibus versaretur, & nobis in præsentia hac exquisitione opus non est. Ea vero quæ tendunt ad salutem nostram verbo illo in Mundum iam misso, consideremus & discamus. separantes immensum in modũ has doctrinas, Legis inquã operũ et fidei seu gratiæ, quod est Euangelium

gelıū salutis. Non enim inter hæc tantū montes et mare spaciosum, vt dicitur, sed quam longe celum à terra distat, tantum inter hæc duo diuini sermonis capita interuallum esse existimandum, & accurate intelligendum est, tam principia quam finem, inter quæ maximum est discrimen: siquidem & veritatem attingere propositum est, & ex hac omnis salus existit, quæ est redemtio & liberatio filij Dei, sicut scriptum est, veritas liberabit vos. Eius igitur legis quæ proprie mandatorum dicitur, constitutio, principiū habuit sententiam atq; voluntatem iusti Dei, et eius, qui vt condiderat ad similitudinem suā hominē, sic vellet et postularet vt in hac permaneret, et finis additus est, elaborare et seruare et perficere omnia quæ iniuncta sunt secundū voluntatem legislatoris. Hoc aūt cum iam propter peccatum quod procreationis initio & primi status origine nobiscum accreuerat, nullo studio nullisq; viribus humanis præstari posset, reliquum erat scilicet, vt supplicium sustinerent peccatores, & vt morte quidē multaretur corpus, Anima aūt cruciatus & tormenta sufferret sempiterna. Terrenam enim partem oportebat in terrā reuerti ac resolui, vnde fuerat accepta, spiritualem autem quam Deus contulisset, inspirato in faciem primū cōditi hominis spiramine vitæ, ꝙ recessisset à Deo, per se quidē horrendis supplicijs coherceri, & rursum indutā corpore una cū hoc in infinitis afflictio

nibus perdurare, erat consentaneum. Tunc igitur Dei filius auertit intercessione sua interitum hominum, & placauit iram patris, & à se ipso obtulit satisfactionem. Atq; ita secunda gratiæ *& caritatis Dei vox, & verbum alterum* prolatum*, & nouum pactum sancitum fuit, non iam cum ijs qui operibus vacarent aut legitimis edictionibus misere conficerentur, in perpetua formidine ac trepidatione, sed ijs qui expectarent misericordiam Dei, & credentibus in filium, & per obœdientiam ac religionem degentes vitam reliquam pie & sancte super terra, semper decertantes aduersus diabolum, & bellum* gerentes cum carne, hoc est *ipsi secum, ductore quidem & principe sancto spiritu, modeste autem & ordine sequentibus illis ipsis. Hi enim idonei redduntur ad exequendam voluntatem Dei, non tanquam ex sese, sed in eo qui perfecit omnia, filio Dei. Omnis enim palmes qui non manserit in vite, infructuosus & aridus, in ignem proijcitur. Et ipse filius Dei dicit, sine me nihil potestis facere. Probatur autem tunc Deo pietatis studium, & id quod reliquum est peccati, & naturalis ac cognatæ prauitatis, non imputatur credentibus in filium, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Qui nos aliquando abalienatos & inimicos cogitatione in operibus malis, nunc reconci-*

liauit

liauit in corpore carnis suæ per mortem, vt redderet nos sanctos & irrepræhensibiles & inculpatos coram se, permanentes quidem in fide fundatos & stabiles, & non recedentes à spe Euangelij, inquit sanctus Paulus scribens Colossensibus. Et idem in epistola ad Romanos ita ait, Nihil igitur iam condemnationis ijs qui sunt in CHRISTO IESV, *non ambulantibus secundum carnem, sed secundum spiritum. Nam lex spiritus vitæ in* CHRISTO IESV, *liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod lex non poterat, in quo per carnem erat infirma, Deus misso filio suo, in similitudine carnis peccati, etiam peccati peccatum condemnauit in carne, vt iustificatio legis compleretur in nobis, non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum. Verbum enim gratiæ ac misericordiæ & caritatis, proprium est & peculiare filij. Et hoc nouum pactum quod ipsius semper fuit, ex quo filius Dei assumsit genus humanum (cui & affuit semper, neque desijt vnquam præses esse illius, neque ipsum reliquit expers respectus sui) confirmatum fuit & obsignatum sanguine filij* DEI, *qui nostram carnem vere & re ipsa assumsit, & qui factus est homo de semper virgine Maria, quemadmodum & deinde dicetur. Huius etiam, quemadmodum & veteris erant cum alia tum circumcisio, signa sunt, formale quidem, communicatio*

corporis & sanguinis ipsius accedentia autem inprimis ipsumq́; baptisma, & potestas clauium. De quibus quidem proprio & conueniente loco pluribus disseremus, in præsentia vero ea quæ adhuc desunt supra dictis adijciemus.

De eo an merces debeatur actionib. legitimis?

EX ijs quæ iam dicta sunt manifestum fieri potest, solos credentes & renatos esse factores legis, in quibus iam ea quæ vires ipsorum ferunt Deo placent, itemq́; voluntas ac studium, (quamuis operis effectio, qualis debebat non sequatur) tamen Deo misericordi acceptum est. Qui omnes complexus est caritate, à quibus adoratur filius & colitur, & qui humiliter se subter validam Dei manum subijciunt, obœdientes diuino verbo toto pectore, quiq; fecit vt essemus idonei ad partem hæreditatis sanctorum in luce. Qui nos eripuit de caligine et transtulit in regnum dilecti filij. At sunt quidem, vt vno verbo dicam, imperfecti omnes conatus nostri, veruntamen perfectione filij perficiuntur & illi, nam hic venit ideo vt legem compleret. Atque ideo nobis in amiciciam Dei receptis per fidem in filium, non modo ei placent iam nostra opera, & res nostræ, sed.

etiam

etiam mercede dignæ habentur, quibus rependantur tam hic caduca quam illic æterna bona. Neque me fugit quod hæc propter simplicitatem, futiliter dici videantur & minime exquisite: Eum qui nihil peregerit quod dignum sit gratia diuina & vita, ac potius obnoxium illum morti, & prauum & designatorem improbitatis, & expertem Dei in hoc mundo, vbi mox audito Euangelio resipuerit & crediderit verbo Dei, & fretus fuerit filio, iam de integro esse iustum coram Deo, & vacare omni crimine ac culpa, dignum omnibus bonis, sola fide renouatum. Veruntamen veritatis simplex est oratio. Neque adeo nos insanire par fuerit, vt hanc peruertere conemur, siue altercando & fallacijs detorquendo, seu æmulando & dimicando, seu etiam efferendo animos, & aperte illa repudiando atque exterminando. Neq; refert si quis nos irridens, stolidos & indoctos & incogitantes vocet. Necesse enim est prius stultescere intelligentiam humanam, quam percipiat sapientiam diuinam. Hoc autem stultescere, nihil aliud fuerit scilicet, quam obœdire verbo diuino, & credere absque dubitatione & præiudicio, & in simplicitate cordis ita parare se vt illud custodiatur. Qui autem his obtrectant quasi inertiæ studijs, & quibus hoc fiat vt negligantur honestæ actiones, ij sciant nihil esse efficacius neque agilius quam

sit vera & diuina fides, quam nos solam in his disputationibus fidem sentimus, & præterea nullam. Quodq; Plato asserat esse & falsam fidem quampiam, nihil id ad hanc doctrinam pertinet. Siq; vel hic vel alius quispiam omnia quæ non comprehendat mens, & ratio (humana nimirum) euincat, ducat respuenda esse & inutilia, ei dicatur ne impedimento sit stulticiæ & incogitantiæ piorum, quibus non animo suo cognoscere, sed spiritu credere propositum est. Sic enim scriptum est, si quis videtur sapiens esse inter vos in sæculo hoc, eum stultum fieri oportet, vt fiat sapiens. Sapientia enim mundi huius stulticia est coram Deo. Spiritus autem Dei prædicat CHRISTVM IESVM in carne iam affuisse, & afflictum esse, & resuscitatum, promittitq; in nomine huius solo remissionem peccatorum, credentibus vniuersis. Stulticia autem Dei sapientior est hominibus, vt inquit apostolus. Sed, non enim instituimus disceptationem, cum ijs qui hæc non admittunt, sed arripiunt ad oppugnandum & exagitandum, hoc loco illa relinquamus, & exequamur ea quæ restant, adijcientes præter supra dicta nunc etiam quædam in vtramq; partem.

AMPLIVS DE MERCEDE & pœnis.

Quod sane iniquarum & iniustarum actionum &

num & prohibitarum à Deo, pœnas esse conuenientes statuendum sit, indubitatum esse arbitror vniuersis. Cum autem omnes peccauerint & in odium Dei incurrerint, quis iam pœnas vitare poterit, nedum aliquis mercedem accipiat debitam legitimis & pijs actionibus. De hoc igitur cum inciderit supra quoq; mentio, consequens fuerit, quam breuissime discutere ea quæ maxime ad rem pertinent. Sciendum itaq; Deum, qui tam erga pios quam impios beneficus sit, non eundem se præstare vtrisque. Nam pios amare & beneuolentia atq; caritate complecti, & custodire non cessat, impijs vero tanquam hostibus irascitur, & infensus est, & quoniam à se desciuerunt, hos ipse etiam deserit. Est autem tanta excellentia & abundantia diuinæ bonitatis & liberalitatis, vt bene ab illo fiat etiam indignis, persoluaturq; merces ijs quoq; qui nihil perfecerunt eiusmodi, quod accipere hanc deberet. Habent igitur bona opera laudem & honorem & retributionem, non modo quæ reuera talia sunt (cuiusmodi nulla esse vspiam possunt nisi fidelium) sed quæ esse etiam videntur, vt sunt philosophicæ & politicæ virtutes, Quod Deus scilicet sua beneficia opulente & largiter dispertiatur vniuersis. At diabolus hostis generis humani, pleraq; bona in hac vita ad callidiores & impudentiores & in impietate audaciores auertere consueuit. Est tamen in confesso,

esse laudabilium laborum etiam aliquas mercedes, quemadmodum & dicitur, venire bona diuinitus hominibus precio laborum. Et Salomo ait, Si alacris fueris, veniet tanquam fons messis tua. Et omnia quæ lege præcipiuntur, habent de honestis & legitimis studijs laudem & mercedem & præmium, & proposita tanquam munera certaminis in cursu virtutis, cum multa bona, tum ipsam vitam. Turpia vero & contraria edictionibus legitimis, vituperationem & supplicium & infamiam, & contumeliam, & interitũ. Quemadmodum enim in vnaquaq; arte peculiaris est professio finis, vt in pecunia facienda quæstus. In venatione, feras capere, ita legum constitutionis, tanquam vitæ artis, finis scilicet fuerit, Bona uita. Quod autem non semper hanc assequantur boni, in caussa est, quod ea quæ illam procurare soleant quodammodo sint penes nos, exitus vero non item. Qui igitur officium præstitit suum perfecte, is finem attigit, perinde ac si artis cuiuspiam tradita & præcepta & viam cognitionis sequeretur, sed opus ipsum vt vtilitatem aliquam afferat aut secus, iam non artis sed fortunæ esse putatur. Vnde optatum prouerbij diuulgatum fuit, vnam guttam expetens fortunæ potius, quam dolium intelligentiæ. Et deplorationes sunt,

Cæcam esse vitam atq; miseram mortalium.

Et Aristophanes inquit, Quod multi improbi

dite-

ditescant, & multi qui viri boni sint vitam degant miseram, posse aliquem arbitrari, statum huius vitæ esse insaniam. Fertur alicubi & hoc

Heu quam nihil est æquale in hac mortalium
Vita. Quod alijs bene sit, alios calamitas
Quamuis Deum pie colant, semper premat.
Quodq; etiam prudens peccet, stolidosq; sequatur
Gloria, nec nullo sint in honore mali.

Hesiodus vero, neque se neque filium suum iustum esse oportere censet, nam iustum, inquit, nocet esse,

Cum potior sit caussa mala, iniusti et melius ius.

Et alias multas indignationes de ijs quibus immerito bene sit, tam apud poëtas reperire, *quam audire semper ex aliquibus licet qui conquerantur. Vbiq; tamen hoc fere adijci solet, Quod iniusti & improbi homines, tandem persoluant pœnas diuinitus. Iusti autẽ & pij percipiant fructus multorũ et magnorũ bonorum. Quodq; nemo impius qui sit & fraudulentus & veterator, non etiam aliquando supplicium det, dicunt et sentiunt omnes. Referuntur & hæc ex oraculo quopiam.*

Qui patrat scelera hunc iuris mox terminus vrget
Fixus & immotus, Ioue sit licet editus ille

Et rursum

Qualia quisque facit talem speret fore finem.

Quod si forte non statim quasi sententiam iuris executus fuerit Deus,

At tan-

At tandem facit, & magno cum fœnore reddit
Inquit alicubi Homerus, & oraculum dicit,
Quod sententia iuris in maleficorum capitibus
& in horum liberis
Voluatur, cladesq; genus cumulando fatiget.

Sed eadem hæc multo prius à Dei famulo Mose prædicta sunt. Homines vero aspicientes ad ea quæ fieri cernunt, considerantesq; quod sæpenumero bene sit malis, vel quod illi potius plerunq; beatam vitam degant, contra vero boni quod infeliciter & misere viuant, & interdum etiam afflicti extreme mortem oppetant, tunc qui humanas rationes sequuntur, non habent ad quam caussam hæc referant nisi fortunam. Et perhibentes illa ad eum modum fortuito euenire, tollunt prouidentiam diuinam. Licet autem cernere hoc loco magnopere etiam pios & timentes Deum perturbari animis. Vt cum dicitur Psalmo 72. Mei autem propemodum commoti fuerant pedes, parum aberat quin euerterentur gressus mei, quod æmularer de sceleratis, tranquillitatem peccatorum spectans. Et cætera, Atq; his similia alia quamplurima inuenire est. Soluit autem facile admodum intelligentia piorum auscultans sermonem Dei, & exercens se meditando in verbo ipsius, id quod absurdum hac in parte videtur esse, dum considerat, quod in cunctis sub sole vanitas insit, nihil enim firmum & æternum hic

num hic est. Item quod Dei decreta & iudicia compræhendi non possint. Et sibi quod nihil esse curæ debeat nouit, nisi vt timens Deum, illum & cognoscere & amare studeat. Sic enim ait Diuus Dauid enumerata multiplici felicitate eorum qui à cognitione Dei alieni & iniusti sunt in terris, Beatum prædicarunt populum horum compotem, Beatus est populus qui habet Dominum illum æternum Deum. Et Ecclesiastes consummando suas conciones, inquit, Finem totius doctrinæ audi: Deum time, & mandata ipsius serua. Hoc enim omnium est hominum. Nam vniuersa opera Deus in iudicio proferet, per omnia quæ oculos effugerint, siue bonum seu malum sit. Vera igitur pietas nihil curat ea quæ in hac vita sursum deorsum feruntur, atq; hoc agit solum, vt Deum habeat propitium, per cognitionem ipsius in veritate. Dei autem sermo veritas est, & ita perferunt afflictiones pij, & in calamitatibus perdurant, & in prosperitate successuum mansuetudinem & moderationem præstant. Et in omnibus spectant Deum, inq; fiducia erga eum & spe acquiescunt, gaudentes & illi gratias agentes semper, cum sciant placere ei opera sua, & suum laborem non esse vanum in Domino. Et habituros se mercedem, quæ rependatur honestis actionibus & vitæ peractæ legitime ac iuste, in resurrectione mortuorum. Ac sciunt

illi

illi quidem quod Deus pro sua immensa benignitate, tribuat boni aliquid etiam non merentibus, eo quod à turpibus & malis recedentes, statuerint sibi perficienda esse honesta & accepta Deo, quamuis nihil recte perfecerint reuera honesti, siquidem fuerunt & ignorantes Dei, & improbi, & alieni à gratia diuina, neque glorificantes neq; venerantes Deum. Ipsi autem quibus obtigit meritum cognitionis diuinæ & portionis in hæreditate filiorum in Christo, quiq; de cætero sunt in fauore, multo magis expectant id quod rependatur fideli dispensationi, & negociationi, & tractationi & agriculturæ, secundum Euangelicas comparationes, quandoquidem hæc tenuia virtutis quasi simulacra & exiles vmbræ, in ijs qui natura sunt filij iræ, non carent tamen mercede, sed rependuntur his cum dies felices, tum alia multa bona huius vitæ, ac percipiunt illa etiam fortasse alia maiora. Scimus enim eos, qui non audiuerint hanc doctrinam, quamuis innocentes non sint (debuerant enim non committere ne inaudita sibi illa essent, vt diximus) tolerabilius punitum iri, Et si qui non perspexerunt veritatem, & nihilo tamen minus non perpetrarunt facinora impia, & vixerunt pure & munde, fueruntq; benigni & misericordes, haud illi sane perdiderunt mercedem suam, & vt credibile est minores cruciatus & magis mites ac leues sentient, quam legum & iuris

iuris violatores. Sed nihil nocuerit, si de his nihil exquiramus, vel hæc si penitus ignoremus. Hoc enim propositum nobis est, vt omnibus viribus festinemus ad potiendum præmio, in cursu directo & incitatione continua. Alia minus respicientes neq; curiose explorantes, quæ sunt posita extra finem. Nunc igitur adhuc istis adiectis, consummemus ea quæ dicta sunt, & sic persequamur reliquam institutionem. Homines igitur infideles ac mali interdum bene uictitant, & degunt vitam suauiorem longe quam pij & amantes Deum. At boni & iusti & innocentes coram Deo & hominibus, in calamitatibus & afflictionibus vitam agunt laboriosam. Et hanc nonnunquam mercedem accipiunt pietatis, vt contumelijs & iniurijs afficiantur, & agantur extorres, denique & trucidentur. Estq; hoc scriptum à Paulo, omnes qui pie viuere voluerint in CHRISTO persecutionem esse passuros. Videri hoc autem possit fortasse euenire hac etiam de caussa, vt pij reddantur meliores, dum tanquam liberi legitimi diligenter à patre castigantur. Habetq; ea res purgationis rationem, vt palmes fructum ferens ferat hunc vberius. De quo Theologus quasi in molestia, fecit in versu, quod piorum labores sint

Carbones, coctum veluti fornacibus aurum.

Veruntamen non est res vniusmodi sed differentias

rentias quasdam habet, quemadmodum plane demonstratur historijs sacrarum litterarum. *Nam est manifestum cum alios diuinos quosdam homines, tum Christum ipsum qui Deus est*, ab *inimicis contumelijs & cruciatu affectos mortem* oppetijsse. *Christi autem afflictio quiddam eximium est & singulare, nimirum salutis & redemtionis efficiens. Ipse enim solus pro nobis captiuis obtulit se ipsum pro nostris debitis multam & precium redemtionis, factus peccatum & maledictio, vt credentes essent iusticia & benedictio. Aliorum autem sanctorum & piorum hominum persecutio & afflictiones, testimonia scilicet sunt veritatis*, pro *qua illi affliguntur, cum sint membra corporis* Christi, *quod semper à* Diabolo *conturbatur & oppugnatur. Quemadmodum & Paulus inquit, quod vicissim expleat ipse ea quæ adhuc reliqua essent de afflictionibus Christi in carne sua pro corpore ipsius, quæ est ecclesia. His annumerauerit aliquis fortasse non inconuenienter & ea, quæ absque caussa euidente interdum aliquibus accidunt, & vel corpus, vel dignitatem, vel fortunas lædunt, corpus autem inprimis. Cum scilicet Deus voluerit per illos mirabiliter declarare vim suam & ostendere gloriam. Nam & hoc testimonium dici possit, aliter tamen quam illud alterum superius genus. Atq; est nimirum hoc neq; temporum omnium & voluntatis diuinæ,*

secretæ ac occultæ, & propemodum non pertinens ad nostram exquisitionem. Dicit sane Christus apud Iohannem sic (interrogarant autem discipuli de cæco quodam nato) Neque iste peccauit, neq; parentes ipsius, sed vt declarentur opera Dei in eo. De hoc igitur vt in præsentia satis. Est autem interdum exploratio & tentatio, atrocitas persecutionis & aliarum afflictionum quæ offeruntur, quales sunt Morbi & communia infortunia & difficultates huius vitæ. Est enim secundum sanctum Iobum, officina tentationis vita hominis super terra, & tanquam mercenarius opperiens suam mercedem. Qui autem laborauerit is mercedem accipiet. Et qui perseuerauerit ad finem vsq; saluus erit. *At Paulus se etiam gloriari dicit in afflictionibus, & nouisse, quod afflictio efficiat patientiam, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non afficit pudore. Deniq; etiam nomen habent tristia & mala & labores, Tentationem, vnde & precantes iubemur dicere, Ne introducas nos in tentationem. Diuus autem Paulus huius generis quamplurima enumerans in secunda epistola scripta ad Corinthios, meminit & Satanæ alaparum, & tandem dicit, Quod potentia Dei in infirmitate perficiatur. Ac sunt hæc quidem grauia vniuersa & dolorifica, superat tamen ea animi consternatio, & cogitationum certamina,*

& pugnæ mentis tanquam cum Deo luctantis, cum sentit se premi imposito onere iræ ipsius, cumq; ante oculos versatur turpitudo & terror peccatorum, cumq; angustia est vndique & desperatio salutis. Sed hæc omittamus, non enim sustinere atq; ferre omnes possunt pariter, & necesse tamen est vt hæc pij & fideles CHRISTO degustent. Cumq; in genere isto afflictionum fidei exercitatio insit, hæc forma eximia & singularis esse reperitur, eorum qui longissime pietate processerunt. Reliquum autem est adhuc vnum genus afflictionum, quo supplicia continentur. Hæc sunt in timentibus Deum & pijs, non ea quæ expediantur ad exitium & interitum & eradicationem ipsorum, sicut impiorum, de quibus dicit Moses in Exodo: Quacunque die respexero, inducam super ipsos peccatum eorum. Nam iniqui, inquit Dauid, extirpabuntur, reliquiæ impiorum extirpabuntur. Sed has esse existimandum est tanquam castigationes monitionis paternæ. Et dicitur in libro Iobi. Beatus ille quem coarguit Dominus. Monitionem autem omnipotentis ne respue. Hic enim facit ut doleat, & rursum instaurat. Percussit, & manus ipsius sanarunt. Sexies de anxietatibus te eripiet, septimo autem non attinget te malum. Et in epistola ad Hebræos scribitur (est autem acceptum hoc de sententijs Salomonis)

Quem

Quem diligit Dominus, eum castigat, flagellatq; filium quemcunque recipit. Omnes autem castigationes in præsentia non lætitiæ, sed magis tristitiæ efficientes videntur esse. Postea autem fructum pacificum iustitiæ rependit ijs quos exercuit, atque hæc etiam delinquentibus, à Deo in bonum vertuntur, ne impuniti efferantur ad petulantiam & obliuiscantur Domini. Itaque inquit, Ego, quos amo, eos coarguo & castigo. Et sanctus Paulus ait scribens Corinthijs. Quod, dum iudicamur à Domino castigemur, ne cum hoc mundo condemnemur. Et in Psalmo 117. *scriptum est, Castigans castigauit me* DOMINVS, *& morti non tradidit me. Est igitur tristicia suppliciorum vtilis ad conuersionem eorum qui duriores sunt, postquam verberibus affecti fuerint, vt quærant Dominum qui sanet vulnus. Sic etiam latro qui crucifixus fuit cum* CHRISTO, *ductus pœnitentia in supplicio suo, inuocato Domino saluus factus fuit. Et dicitur hoc vere vt opinor, Non minus rectam & tritam esse viam in celum à carcere & à carnifice, quam ex lustris & cellis secessionis. Cum facta autem mentio sit de supplicijs, videamus hoc quoq;. Quod, cum simus peccatores generaliter omnes (si enim dixerimus, non habere nos peccatum, veritas non est in nobis) etiam pœnam peccatorum debeamus sustinere.*

Peccati igitur & prauitatis naturalis condemnatio, communis est omnium, & generalis inflictio sententiæ earum calamitatum & miseriarum, quæ premunt vniuersos, de quibus genus nostrum subiectum est laboribus & defatigationibus, & morbis & alijs tristibus, donec finiamus hanc vitam. Verum peccatorum atrocium etiam pœnæ hic sunt maiores & grauiores. Persuasum est enim hominibus hoc esse malorum vltimum. Atq; hæc, in ignorantia veritatis, veteres sapientes Græciæ ad fortunam retulerunt. Vnde dictum fuit, fortunam esse res humanas. Et omnia cadere in fortunam hominum, ait Herodotus, Alius autem quispiam dixit, Quod,

Nobis velut pincerna sæpe Sors tria
Vnum ad bonum confundat admiscens mala.

Nos vero & de his recte sentientes & apte distinguentes illa, ne erremus animis, neq; decipiamus nosmet ipsos. Quemadmodum igitur nemo omnium reperitur expers peccati, & is, qui debeat animum ob suam iustitiam sustollere & superbire, ita quemcunq; non condemnat cor ipsius in quacunq; re, is potest gloriari, vt de illo negocio, quatenus conscientia illæsa & sincera permanet. Sicut ait Dauides, Domine Deus meus, si feci hoc, & si est iniusticia in manibus meis &ç. Psal.7. Et ibidem. Sententiam fer mihi Domine secundum iusticiam meam, & secundum in-

dum innocentiam meam super me. Ita & Christus neque cæcum illum natum, neque parentes eius peccauisse dixit, nimirum ita vt proprio scelere, & facinore nefando, caussa sibi fuerint talis pœnæ. Neque vlla tamen aperitur ad salutem ianua extra pœnitentiam & confessionem, vnde fides & remissio peccatorum gratiæ dono contingit timentibus Deum, in Domino nostro IESV CHRISTO. *Quemadmodum ait & Paulus, se omnibus pariter testem fuisse pœnitentiæ erga Deum & fidei in Dominum nostrum* IESVM. *Et Iohannes, Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata, & mundos reddat ab omni iniusticia. Et sanctorum confessiones plane id ipsum pronunciant, vt in Psalmo 105. Peccauimus cum patribus nostris, violauimus legem, iniusti fuimus. Et Daniel, dicens, Peccauimus, iniusti fuimus, impij fuimus recedentes à mandatis tuis. Tibi* DOMINE *iusticia, & nobis pudor vultus nostri, & aliæ sunt huiusmodi confessiones crebræ. Atque ita salus penitus compræhenditur, & debitum peccatis manuprecium in vita hac, aut remittitur prorsus, aut exigitur saltem mitius. Sed de his in præsentia satis. Sed quæ dicta sunt, cum ea sint exposita processu continuatæ orationis, opportune fecerimus, si breuiter repetentes illa pro forma Catecheseos, ita demũ pergamus ad alia.*

CATECHETA.

Ex dictis, ô pueri, nunquid tentabitis dicere, Quid sit lex, de qua nunc tractatio est à nobis suscepta. Itemq; alia, quæ percurrimus, respondendo ad interrogata succinctius quodammodo?

PVERI.

Quid ni? Ac nihil prohibet periculum facere, præsertim cum assit is qui corrigere possit, si quid nos fefellerit.

CATECHETA.

Quid est lex diuina? Dicite recordati de prædictis.

PVERI.

Patet igitur ex illis, esse eandem & naturæ legem, edictionem de faciendis & fugiendis, patefactam per præceptiones voluntatis diuinæ.

CATECHETA.

Videmini non futiles esse auditores, & obliti eorum quæ sunt dicta. Sane hoc quidem recte videmini respondisse. Sed quid dicitis? Nunquid indi-

indistincte vnam & eandem esse legem diuinam & naturalem?

PVERI.

Haud nos quidem, Sed eam, quæ est insita lex mentibus humanis, dictum esse videtur, propter naturæ corruptionem, esse quodammodo obscuriorem & imperfectiorem. Sed descriptam & à Deo pronunciatam & insculptam tabulis lapideis, necesse admodum est esse cum planiorem tum exquisitiorem tum absolutiorem illa.

CATECHETA.

Lex igitur naturalis & diuina est eadem?

PVERI.

Siquidem vtraque immutabilis & sui similis est, manetq; semper, & tractat de eisdem, neq; confirmatione indiget, neq; abrogationem admittit.

CATECHETA.

Recte dixistis. Nam illa iura non decretis neq; conuentis aut pactis quibus in vrbibus constituta, sed sancita edictione diuina vniuersa in animis omnium mortaliũ, et deinde digiti Dei descriptione renouata sunt. Itaq; et gentiũ illa iura appellãtur, eo

quod intelligentes cuncti confiteantur, quod recte & honeste & vtiliter se habeant. Sed alia omnia quæ iura ciuilia vocantur, temporibusq; mutantur & locis, & non ex eorum sunt genere, quæ immobilia sunt, vt illa. Quare hæc humanas leges aliquis appellans, ita poterit definire secundum Aristotelem: Legem esse orationem definitam, secundum consensionem communem ciuitatis, significantem quomodo agenda sint singula. Semper autem insistendum quodammodo in disputatione de legitimis, & consideranda est primi seminis labes, vnde non solum propositi seu consilij, sed cognitionis quoque & omnium virium animæ & corporis corruptela ita inoleuit, & radices egit in nostra iam natura humana. Atq; pronunciat lex naturalis quoq;: Quod veneratio Dei, & castitas ac temperantia & iusticia, omnesq; actiones virtutis & laudabiles sint ac persequendæ, & contraria fugienda atq; vituperanda: At mens & cogitatio per sese neq; studium ad Deum refert, neque sic propositum contendit perfecte exequi omnia pro eo ac oportebat. Nam ex sapientibus qui præclarissime & minime horride hæc considerarunt animaduertendo, quorumq; existimatur exquisita esse doctrina veritatis, ij tradiderunt: Et esse virtutes expetendas propter ipsas, & harum efficacitates ad felicitatem pertinere. At lex diuina nouit has neque

eas

eas esse, quæ possint beatam vitam conciliare, ex hominum ipsorum arbitrio, & procedere debere legitimam obœdientiam vniuersam à timore & caritate Dei, & *requirit quasi in certamine accuratam contentionem. Atq; adeo, vt efficiantur cuncta quæ præcepta sunt, actionem tamen esse imperfectam propter imbecillitatem & abhorrentiam actoris, demonstrat. Quibus omnibus naturalia, vt nunc se res habet, deficiuntur, vt val de à Iustino præclare dictum sit: Secundum naturam ad huc viuere nondum esse eius qui crediderit.*

PVERI.

Vtrum vero etiam ciuilia iura oportet *seruare Christianos?*

CATECHETA.

Vestrum scilicet est respondere. Quid dicitis igitur?

PVERI.

Nos igitur, de ijs quæ sunt commemorata, diceremus quod oportet.

CATECHETA.

Recte dixistis. Et propter *caussas maxime du-*

as. Quoniam & nos excellenti poteſtati ſubiecti ſumus, & quiete ac pacifice in omni animi deiectione degere debemus. Nunquam concedetis vos tamen, ius eſſe vllum diſſonans & diſcordans diuinæ & naturali legi. Vt ſcortationem & deuorationem hominum.

PVERI.

Nunquam nos quidem hoc ſponte noſtra ſumus facturi.

CATECHETA.

Quid autem ſi quis interroget præterea dicturi ſitis?

PVERI.

De quo? aut quid ais?

CATECHETA.

Quomodo perficitur lex diuina?

PVERI.

Recte quidem feciſti tu, cum huius nos admonuiſti. Sed aliúdne quæris quam hoc, qui ſenſus ſit præceptionum.

CATECHETA.

Non aliud ſed hoc ipſum.

PVERI

PVERI.

Illæ igitur facienda & non facienda memorant & distinguunt. Ita quidem vt obœdiendo satisfiat voluntati Dei.

CATECHETA.

Qui finis est?

PVERI.

D E I *iusticia & voluntas.*

CATECHETA.

Nunquid & hoc adieceritis?

PVERI.

Quidnam?

CATECHETA.

Quod dictum est à Paulo, Quod finis præcepti sit caritas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata, & ad Rom. 13. *Dilig.ns alterum impleuit legem.*

PVERI.

Adiecerimus sane, si tu iubeas.

CATECHETA.

Iubeo ſane ego. Nam ſolus hic eſt modus ad Dei iuſticiam & voluntatem perueniendi.

PVERI.

Addatur igitur & hoc ijs quæ dicta ſunt.

CATECHETA.

Sed aſſequimur ne nos iſta, & complemus legem?

PVERI.

Minime omnium nos quidem, ac potius neque ipſum legiſlatorem, neq; mandata, neq; finem ex nobiſipſis poſſumus cognoſcere, alieni à cognitione Dei, *neq; aſſequentes ſententiam legis, quæ exigit perfecta omnia, & noſtræ etiam magis quam Dei voluntati obſequentes.*

CATECHETA.

Quomodo igitur iuſtificabimur & ſaluabimur? quandoquidem iuſti ſoli ſunt factores legis, & ſalus eſt iuſtorum.

PVERI.

De hoc quidem aiebas te plura adhuc dicturum esse. Nos autem hoc tamen intelleximus, quod non perfectio sed obœdientia & studium ad nos pertineat. Et quod nostris elaborationibus proposita merces sit in vtramq; partem apud Deum, tam virtutis quam vitiorum.

CATECHETA.

De his, vt in præsentia, satis. Quid restat vero? Nunquid vt denuo percurramus mandata, & dispiciamus de singulis accuratius. Scriptura enim sane beatum pronunciat eum, cuius voluntas sit in lege Domini, & qui in lege eius meditetur die ac nocte. Amemus itaq; nos, vna cum Diuo Dauide, legem, & meditemur in hac semper, vt postquam apparuerit nobis iusticia, hanc sequamur, si quo modo & assequamur. De integro igitur incipientes de delictis contra singula capita consideremus accuratius, vt conspectis generibus vitiorum, hæc fugientes perueniamus ad virtutis studium. Atq; tunc sane perspecta nostra infirmitate ad perfectionem præstandam, vt externam quæramus opem gratiæ diuinæ, secundum demonstrationem verbi Dei, quod est Euangelium, quæ suppeditet & velle & posse. Hæc autem per-

tem percurrentes, simul etiam conabimur soluere dubitationes quasdam hic illic incidentes, & explicare ea maxime quæ obuersantur in vita nostra, & explicationem videntur desiderare.

PVERI.

Ita faciamus, præceptor optime & magister sermonum diuinorum. Tu expones ea quæ nos adhuc cognoscere opus est, & nos diligenter audientes, recta via te sequemur.

CATECHETA.

Sed quomodo me *Magistrum nominastis*, ô *pueri?* eumq; optimum. *An non meministis? quod nemo bonus sit, nisi Deus. Et quod vnicus præceptor noster, non sinat magistros alios in terra nominari.*

PVERI.

Hoc ipsum & tu nobis dices. Nos enim non habemus quid respondeamus. Quo modo enim tantilli cum simus, scire hoc possimus.

CATECHETA.

Discite igitur, ô dilecti pueri, quod diuina lex, non sit ea qua lingua reddatur concinna, sed qua

qua sensus perficiantur. Neque illa componit os, sed penitus disponit mentem. Si recte igitur & pie sentiamus, licet oratione vtamur communi & vsitata, quemadmodum ipse IESVS CHRISTVS *fecisse reperitur. Sic igitur sentiamus, Deum esse ipsum simpliciter illum quidem, & natura sui, primum bonum, deinde omnia ea quæ ad bonum, quomodocunque nominetur, aggregantur cogitando, vt sanctum, iustum, pulcrum, sapientem, benignum, fortem, potentem, diuitem, veracem, castum, regem, iudicem, dominum, & cætera huiusmodi. Postquam vero benignitati Dei placuit communicare nobiscum bonitatem suam, adeo vt potestatem etiam faceret fieri filios suos, non naturales & carne, sed spiritu natos & adoptiuos, ita iam participatione quadam & communicatione quadrant & appellationes conuenientes muneribus Dei. Est autem hoc duplex. Nam in hac mundana ordinatione, istud diuini muneris bonum, denominationis huius appellatione dignum habetur, cum humanum sit, & longissime ab efficiente illa perfectione distet, & quamuis prorsus interdum hinc recedat, tamen accipit nomina primæ bonitatis, & in qua caussa vt existat bonum et efficiendi omnis vis ac ipsa natura, vel potius quod supra naturam est, permittente illa vt tanquam in vmbris quibusdam & imaginibus vocibus rerum ipsarum*

& veritatis

& veritatis abutamur, vtque appelletur bonum id quod laudabile est, quoniam laudabile à bono abesse nequit, & pulcrum quod venustum est, & sapiens, quod admirabile stultioribus, & alia similiter. Atq; etiam rex & magistratus & excellentia tanquam sublimitas præfecturæ diuinæ, & principatus & gubernationis in terra. Atq; ita se res habet in mundana constitutione. Ea vero pars quæ propius attingit cognitionem diuinam, piorum & fidelium & Christianorum, regitur simplicius quodammodo & sincerius & diuinius. Nam solum & æternum bonum, cum quo vniti sumus per Christum, conspicati, non possumus amplius ad vllam creaturam oculos conuertere, sed hos intendentes in creatorem & autorem, quemadmodum ille reuera est, ita perhibemus esse bonum, & quæcunq; ab bonum adiunguntur, & in hoc intuentes non agnoscimus vllum aliud, neque in celo neq; super terra. Ac si quis hoc cognomentum ipse per se sibi proprium vendicare ausit, huic simul istud non permittimus, simul propugnamus pro gloria & sanctitate & maiestate DEI & patris nostri. Ita igitur extra etiam præceptorem nostrum IESVM CHRISTVM, si quis se ipsum produxerit ad præcipiendum ac docendum, is sciat se à nobis haud facile admissum, ac potius penitus repulsum iri, qui neminem nisi CHRISTVM IESVM

SVM

SVM audire, & hunc in via pietatis & fidei sequi instituti sumus. Ab eis vero qui ex corde non prauo, & recta mente, & humili erga Deum animo, loquuntur, quemadmodum consuetudo singulorum patriæ & gentis & linguæ fert, neque diuinum numen offendi, persuasum nobis est. Et apud nos potestas sit genere sermonis vti, eo quod & planissimum ad intelligendum, & minime aliis molestum sit, ad incrementum præconij regni, & ædificationem ecclesiæ, quo vnusquisq; faciat simul atque loquatur, quæcunq; vera sunt, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; casta, quæcunq; grata, quæcunq; bona verba complectuntur, si qua virtus, si qua laus, vniuersa vt in CHRISTO IESV *Domino nostro, cui laus & victoria & sapientia in sæcula sæculorum.*

Reliquum igitur est vt procedente commemoratione exponamus, quæ vbiq; contra mandata delinqui soleant. Ac contra primum scilicet, manifesta sunt statim ista.

De iis peccatis quæ contra primum præceptum committuntur.

Primum est.

Impietas & profanitas, & prouidentiæ diuinæ obtrectatio, quem consueuimus nominare Epicureismum.

II.

Cultus simulacrorum. Hoc autem est varium. Quando id quod creatori debetur, creaturis tribuitur, vt illud est semper, & fuit, & erit, quod multiplicem diuinitatem introducit, quomodocunq; sane vocetur. Non dico autem vulgares illos sacrorum cultus tantum eorum, qui in Græcia & apud alias gentes Dij & dæmones dicerentur, sed excogitationes etiam sapientiæ atque conclusiones, de potentia diuina & natura & efficacitate, quam humana includit consideratio.

III.

De Deo statuere secundum suas considerationes & propriam sententiam, & sequi cogitationes suas, & declarationem ac prohibitionem verbi Dei negligere, quemadmodum faciunt Iudæi, quicunque in perfidia perseuerant, & Mahometistæ, & omnes hæretici.

Magicæ

IIII.

Magicæ incantationes & præstigiæ, & euocationes vmbrarum & vaticinationes. Quales sunt sortium, & cribri, & aquæ, ignis, commotionum, auspiciorum, sacrificiorum, nec non nugaces astrologicæ atque Chiromanticæ, & somniatrices, & physiognomicæ, & aliæ omnes obseruationes contrariæ diuinis mandatis.

V.

Numen diuinum iudicio & existimatione humana constituere certis consecrationibus, vel in imaginibus & statuis, vel loco peculiari, vel opere aliquo proprio.

VI.

Hypocrisis, quæ non est illa quidem impietas manifesta, sed specie & habitu falsitatem astute miscet cum religione, & cupiens videri Dei amatrix, propriam quærit prosperitatem. Est autem malum hoc ex eorum numero quæ admodum occulta & ad dijudicandum difficilia sunt. Deus autem requirit simplicia & quæ ex corde proficiscantur.

VII.

Desperatio, & huius soboles, odium Dei, vt cum Saul cernens se reprobatum esse, irascitur Deo, 1. Reg. 28. capit.

VIII.

Contemplatio propriæ iusticiæ aut sapientiæ aut potentiæ, aut qualiumcunq; bonorum, & in his fiducia, & omnis superbia. Exemplum est Pharisæus Lucæ 18.

IX.

Dubitatio & hæsitatio de beneuolentia Dei, *quando ambigitur vtrum Deus precantes exaudiat, & vtrum veniam daturus sit peccatoribus, an non.*

X.

Impatientia & indomita voluntas in malis & afflictionibus, quibus subiecit humanum genus Deus, vt has toleret ad probationem efficientem spem, quæ non pudefacit.

XI.

Despicere aut negligere verbum Dei, aut penitus etiam ab hoc recedere, vel propter metum,

vel

vel scandala, vel voluptates, vel diuitias, vel aliam quamcunque caussam.

XII.

Dei tentatio, ut si quis absque necessaria caussa in periculum præcipitet vel corpus vel animam, vel etiam ambo. Horum autem omnium genus vnum est, Defectio à Deo & inobœdientia, & in summa elatio animi atque contumelia. Contra quam etiam alij externi sapientes tanquam inuisam & contrariam illam Deo, exposuerunt à patribus, vt uidetur, traditas sententias, velut Herodotus, *Quod* Deus *eminentia dissipet.* Et *alius quispiam dixit,* Deum *esse punitorem eorum, qui animo nimis alte efferantur.* Et *Pindarus, sapientiam ait esse odiosam maledicere Deo. Quod autem grauissimis pœnis vindicetur contumelia in Deum, demonstrarunt cum Salmonei interitu, fulmine icti interim dum imitatur fulgura & tonitrua, tum prius etiam de audacia & exitio Aloidarum. Traditur & de Pherecyde Syrio, quod per maximos cruciatus finierit vitam, enascentibus vbiq; in corpore vermibus, atq; hanc pœnam dedisse eum volunt contemtus numinis diuini, cum sedens aliquando in Delo inter discipulos, & alia prædicaret de seipso multa, & quod nunquam in vita sacrificasset.*

fet.

ſet. Philippus autem Amyntæ filius, iam ſecundis rebus ebrius, cum portarentur in pompa quadam duodecim Dij, præferri voluit ſuam imaginem decimam tertiam, auguſtiſſimo ornatu exquiſite effictam, neque diu poſt à Pauſania interfectus fuit.

PVERI.

At enim hi omnes ſine dubio ſimulacrorum cultores, & expertes fuerunt veritatis de Deo cognitionis.

CATECHETA.

Bene hoc et recte, Mei pueri ſubieciſtis, Veruntamen cum non diſputemus modo de ſanctimonia neque cultu aut religione erga Deum, hoc conſiderate, Quod diuini numinis qualiſcunque contemtus & contumelia profana, impietas quædam ſit. Non enim in Iouem vt tum habebatur Salmoneus, & Aloidæ, neque in Delium vt perhibebatur Apollinem Syrius ille, neque adeo in duodecim, qui vocabantur, Deos, Amyntæ filius, ſed in ipſum numen diuinum contumelioſus & petulans fuit. Ac iuſtam quidem mox pœnam perſoluit, ſed modicam ac ne numero quidem indicandam partem, reſpectu cruciatus ſempiterni, cui cum propter hoc tum alia

peccata

peccata subiectus fuit, vna cum diabolis & omnibus impijs & irreligiosis, & infidelibus & contumeliosis. Atque huius memores ad similes quæstiones, quo recte vti possitis, estis habituri. Sciendum autem quod de numine diuino, &, vtrum Deus sit, hallucinetur sola ferme sapientiæ & variæ cognitionis exercitatio. Quandoquidem omnes fere barbari in hoc perstiterunt, confitentes esse potentiam diuinam, quam æquum sit adorare & inuocare & venerari, Græci autem quamplurimi per sapientiæ ostentationem ad impietatem delapsi fuerunt. Quapropter bene & prudenter quispiam dixit: Quid sit Deus inquiri non oportere, sed optimum esse vt initio statim credatur. Proposita enim quæstione, occasio iam datur contradictionibus, in quibus ille etiam qui absurdissima affert, tamen vult vincere. Fuere autem apud Græcos (dicamus enim & hoc quasi prætereuntes) impietatis nomine celebres hi maxime. Euhemerus Messenius aut Tegeates. Diogenes Phryx. Hippo Tarentinus, Diagoras Melius. Sosia nescio quis. Theodorus Cyrenaicus. Pyrro enim Eleus, & Xenophanes & Protagoras, non ij quidem erant qui manifeste tollerent numen diuinum, sed qui varijs ambiguitatibus implicata doctrina, etiam ipsi opinionem impietatis sibi pepererint. Po-

Postremus autem Epicurus, priora quasi consummans, verbis quidem numen diuinum constituit, sed re sustulit. Oblique *huic obtrectans tam descriptione quam ademtione prouidentiæ & gubernationis & respectus eorum quæ in* Mundo *fiunt.*

PVERI.

Hæc *quidem mirifice audita nos delectarunt, cum tu narrares, & est spes aliquid inde vtilitatis nobis accessurum esse, tu vero deinceps dicito, quomodo compleatur præceptio.*

CATECHETA.

A nobis illa quidem neutiquam, sed Christus, *qui est legis completio, largitur ille quidem nobis vt legem compleamus, nos autem hoc facere ordimur fide in* CHRISTVM *remissis peccatis. Estq; nobis* Christus *filius* Dei *via qua ad Deum peruenire iam possunt ij qui exercent fidem, timorem, spem, caritatem, gratiarum actionem, patientiam, humiliationem animi, & in summa iusticiam quandam erga Deum generalem.*

De peccatis contra secundum praeceptum.

Atque

ATQVE his de primo præcepto decalogi hoc modo mediocriter disputatis, consequens fuerit similiter & de aliis videre. Ac sequuntur scilicet deinceps distincta peccata contra secundum præceptum. Quod autem negationem habet, & ita effertur præceptum, non ideo nihil etiam fieri iubet. Sed quæ vetat, his nimirum contraria præcipit. Sunt autem hæc ferme quæ prohibentur.

I.

Negligere inuocationem & adorationem & precationem & gratiarum actionem.

II.

Inuocare aliud nomen extra Dei nomen, & simulacra aut spiritus hominesúe aliquos aliquando, aut alias animantes, vel aliud quippiam in natura rerum venerari, & adoratione aut cultu aut fiducia deificare, & volutari in fanis circum statuas aut falsa sacrificia.

III.

Falsa docere ac disserere impia de numine diuino. Et ita docentes ac disserentes tueri atq; defendere. Et veritatem violare, siue aduersando

& impediendo præconium, siue etiam fallacijs & calumnijs obscurandó & peruertendo doctrinam.

IIII.

Cultum impium aliquem & nefarium introducere, aut obseruare aut augere.

V.

Non confiteri, si interrogemur, doctrinam sanam veritatis Euangelicæ.

VI.

Non obsequi voluntati diuinæ, in faciendo præconio & exercendo doctrinam Euangelij, si quis vocetur ad hoc opus. Item negligere veras enarrationes, & esse securum de diuersis & controuersis doctrinæ assertionibus. Vnde potissimum in Ecclesia pullulare solent & augescere mendacia impietatis, nec non diuersitas doctrinæ, et sententiæ mirabiles, et peruersiones sanæ doctrinæ, & quæstiones ac rixæ verborum, & tandem hoc quoque vt quæstui habeatur religio. Hoc videre vt caueatur, opus est episcoporum & pastorum & præsidum ecclesiæ.

VII.

Blasphemiæ & execrationes & scurrilitates Epicu-

Epicureæ, & fabulæ profanæ. Inprimis nominis diuini & verbi conuicia & persecutiones. Vt Pharaonis & Rhapsacis & Pharisæorum, CHRISTI ac Apostolorum temporibus. Similiter & ea quæ offendunt & conturbant infirmos & eos qui fide deficiuntur, præterea indignationes & tristiciæ desperationum & dubitationum de rebus diuinis. Execrationum vero peccatum deterrimum est. Non dico manifestam quorundam dementiam & rabiem, qui ipsi etiam Deo in celis furentes maledicunt. Ista enim extrema est impietas, quæq; non sæpe auditur, atque vtinam ne audiatur quidem vnquam cum talis sit, sed eas dico execrationes, quæ fiunt vel in se ipsum (etenim ita interdum desipit ira & commotos bile aliquos lædit) vel in alios. Hoc peccatum existimandum admodum esse atrox, & nequaquam eleuandum est. Propterea quod execrator inuocet vim diuinam oratione vana, & irritet nomen Dei: idque faciat imprecans malum & interitum alteri, cum orare debeamus pro insultantibus, secundum CHRISTI mandatum, cumq; dictum sit: Seruum CHRISTI non oportere pugnacem sed mitem esse erga omnes, eum qui docere possit, patientem cum mansuetudine. Quodq; tolerantiam præstare nos deceat, vt etiam probationi locus relinquatur, & vt acquiramus spem, cuius nos pudeat nunquam,

nunquam, & cum apostolus inter fructus spiritus numeret etiam mansuetudinem. Violant autem hac in parte legem, quicunq; non glorificant Deum, per dicta & facta in hac vita, ea quæ sunt religiosa, & honesta & decora & placentia Deo, & tendunt ad ædificationem aliorum. Hi sunt qui non gerunt se ita vt est dignum vocatione, & probro afficiunt Euangelium CHRISTI, *& infirmorum animos sauciant, & quasi suam deformitatem non occultant quasi excrementa in castris æterni Dei.*

VIII.

Interdicitur hoc loco & deierandi procacitas, & periurij profanitas. Nam deierare sua sponte consilio aut more prauo, & improbum est, & inhonestum, & odiosum coram Deo & hominibus. Periurium autem semper pœnas sustinuit grauissimas, & sustinere meretur, quippe cum iniuste Deus iurando testis fiat. Est autem sensus præcepti, vt breuiter dicam, Non nobis hoc tantum esse persuasum, quod sit Deus, sed religionem erga Deum tam dictis quam factis nos declarare oportere, Hoc quatuor in rebus potissimum spectatur. In adoratione, in precationibus, in gratiarum actione, in hymnis. Atq; ex hac naturali, vt apparet, cogitatione, secundum subiectio-

subiectiones sanctorum, & Deum amantum patrum, omnes cultus orti fuerunt. Atque omnium præceptorum prima sunt apud omnes, ea quæ traduntur de numinis diuini honoribus & venerationibus. Unde & hoc factum est,

Poscebant semper sua Dij mandata tueri.

Et censet aliquis esse precandum, Quod omnes diuino auxilio homines egeant. Theognis *vero ait,*

Vota Deis facito, quorum est vis maxima.

Platonicus autem Timæus ait: Ita quidem omnes, qui non plane desipiunt, quicquid aggrediantur seu magnum seu paruum sit negocium, Deum semper inuocant. Sed murus *Achiuorum, quoniam non approbantibus* Dijs extructus *fuerat*

Immortalibus, haud durauit tempore longo.

Non autem est cur aliquis reprehendat multorum Deorum nomen ac mentionem, nam supra de naturæ deprauatione, & caussis impietatis disseruimus. Hoc autem nunc *propositum est ad demonstrandum, esse naturæ quandam legem, quæ iubeat tam cultu venerari numen diuinum, quam pijs precibus illud inuocare, & iurisiurandi custodire religionem. Quoniam enim is qui iurat, testem facit Deum, quæ ratio afferri possit, vt mendacium teste* Deo prolatum *pœna careat? Quapropter creditur vindictas debitas periuris,*

etiam pertinere ad posteros, de ijs quæ historijs prodita sunt, nisi forte internecione, vt dicitur, radicitus aliquis fuerit extirpatus, secundum narrationem de Glauco, quæ extat apud Herodotum, qui solum animo fraudationem depositi, peierando concepisset. Hesiodea autem sunt nota, Quod noxa immedicabilis corripiat eum qui sua sponte peierando mentiatur. Narrant autem quendam Corinthium periurum, sibi olim visum esse, quod dormientem feles lacerarent, atque ita inopem consilij se ipsum tandem interemisse. At Theognis, Quicunque, inquit, falso iureiurando aliquid acquisiuit,

Ille quidem lucrum sibi tum fecisse videtur,
Sed finisq; malus, mens potiorq; Dei est.

Et rursum

Atq; vnus pœnam ipse mali persoluit, at alter
Fecit vt hoc esset posteritatis onus.

Quod Euripides igitur festiuissime protulit,
Iurauit lingua, mentem iniuratam gero,

Ipsa etiam theatra auersata exibilarunt & improbarunt. Verum id quod siue Lysander seu Philippus dixit, Decipiendos pueros talis, viros iureiurando, cum dictum nefarie, tum eiusmodi esse existimandum, quod non ita multo post debitam vltionem interitus prouocauerit.

DE EO QVOD DICTVM EST non iurandum esse omnino. Et de votis.

Quæstiones hoc loco incidunt duæ, quæ inprimis dissoluendæ videntur. Quarum prima est de hoc quod dictum est, Ego vero vos omnino iurare veto. Quomodo igitur reperitur iurasse Prophetas & Deum ipsum? Item, quid recte futurum sit, si iusiurandum deferatur, quemadmodum in litigationibus iudicialibus fieri consueuit? Dicimus igitur, prohibuisse Christum suis ne procliues & faciles essent ad deierandum, præcipiens affirmatione & negatione in familiaribus congressibus illos esse contentos. Quicquid enim præter ea est inquit, id ex prauo est. Quod si imponatur nobis iurandi necessitas, non iam nostra sponte iusiurandum vsurpamus, sed delatum & alienum admittimus. Atque tunc is qui iurat, neutiquam peccat, si iusiurandum vsurpet, primum quidem illud ad gloriam Dei, deinde vero & ad commoda ac vtilitatem communis vitæ. Omnino autem meminisse debemus, Iureiurando nos vti non oportere nisi maxima de caussa. Nam & externi quidam autores, alienum esse à sanctitate statuerunt facile iurare omnino. Et Demonico Isocrates præcepit, Ne deieraret fortunarum gratia vnquam, ne si vere quidem iuraturus esset.

Quo

Quo maiorem cautionem Christianos adhibere par est, ne prompti sint ad iurandum, præsertim cum præceptio diserte prohibeat iurandi facilitatem & leuitatem.

Quæritur rursum de hoc dicto, Non peierabis, sed persolues Domino iusiurandum tuum. Vtrum omnia vota, quæ aliquis vouerit perfici, & quæ iuratus fuerit præstari oporteat. Est autem indidem plana de ipso dicto solutio. Quia additur, Persolues DOMINO. *Quæ autem per peccatum fiunt, illa certe domino non persoluuntur. Aequum autem est, vt iurisiurandi inuiolata custodia non constituat iniusticiam, sed conciliet iusticiam.* Non igitur debuit neque Herodes *iuratus admittere illam nefariam & abominabilem petitionem saltatricis, neque alius quispiam vota quæ vouit persoluere, si perspexerit inesse in seruando iniusticiam & iniquitatem, & maxime si animaduertet cum illis aliquid impietatis perpetratũ iri. Ex quibus facile intellexerit aliquis, satius esse multa vota quæ vsurpantur in administratione ecclesiastica, irrita facere quam conseruare. De quibus etiam facile diiudicare poterit spiritualis & veritatis studiosus. Si enim docendo hoc tradunt, hunc esse voluntarium cultum, qui mereatur remissionem peccatorum & gratiam diuinam, horribile est mendacium, & turpis ignorantia saluatricis & liberatricis veritatis:*

quod

quod vnus sit & solus filius Dei, cuius sanguine reconciliati sumus Deo, & per quem habemus redemtionem, remissionem peccatorum. Qui omnia pacificauit per sanguinem crucis suæ, Sed de his, vt in præsentia, satis.

Peccata contra tertiam praeceptionem.

TERTIVM caput hoc legis continet constitutionem de tempore ceremoniarum, & loco & ritu. Nihilo tamen minus statuendum est, generalem esse edictionem, quamuis ad Iudaicam nationem proprie accommodata sit, & tempus definitum obseruationis præscribat. Nam hæc pars nimirum mutabilis est, illa autem quæ diximus, lata de numinis diuini cultu, ad naturales & immutabiles edictiones pertinere existimandum. Siquidem enim debemus Deum honorare, sequitur vt publice ad hoc conueniamus. Atque hinc, cum solennium cœtuum & certaminum & sacrificiorum & pomparum apud Græcos introductæ fuerunt consecrationes. Quoniam ea quæ ad ferias pertinent, necesse est distingui temporibus locisq; & ritibus. Nostræ autem sunt, qui in veritate Deum colimus, orationes piæ adorationum & precationum & gratiarum actionis,

& hymnorum, quibus mentis scilicet sacrificijs, veneramur vnum & solum Deum, patrem, & filium, & spiritum sanctum. Congregamur *igitur & congredimur, vt par est,* decenter *& composite, ad vnanimem collaudationem* Dei, *quemadmodum lex iubet, his verbis, Sabbatorum diem sanctum ducito. Ad quam referenda iam sunt omnia quæ ad vniuersum ecclesiasticum ordinem pertinent. Tam ministerij operationes, quam Sacramentorum tractationes, quam etiam canonum & ordinationis descriptiones, & diuinarum atque apostolicarum traditionum custodia. Itaque nunc refragantur* legi.

I.

Contemtores conuentuum ecclesiasticorum, & Euangelicæ vitæ atque præconij neglectores, aut hoc audientes segniter & oscitanter.

II.

Si Sacramenta non sumantur studiose, & si indignus horum particeps fiat, vel si quis etiam ab his contumeliose abstineat, tum hæc præceptio non seruatur.

III.

Dies

Dies feriarum transferre ad alias occupationes, quibus impediatur sanctificatio. Turpissimum autem, tunc conuiuijs aut ludicris immorari, tempusq́; & studium religiosarum meditationum, in luxuriæ & absurditatis dementiam atque leuitatem conuertere. Est autem scandalum etiam hoc loco ingens, & non modo res digna reprehensione, sed exemplo etiam nocetur.

IIII.

Ministerij operationes & curam præconij negligere, neque ita hoc defendere, ne contamine-tur aut peruertatur, vt cum ministrorum somnolentia & desidia, ecclesiasticam rem corrumpit. Et magis quoque, cum aliqui ceremonias constituunt inuentas à se, vel prorsus impias, vel deprauatas & inconsentaneas cum sana doctrina, & obscurantes veritatem. Hi sunt qui ex ecclesiasticis curationibus & administrationibus facultates augent, & quæstum faciunt, & vendunt sacerdotalia munera, & Trapezitis magis similes sunt quam sacerdotibus. Sunt autem talia ditescendi & quasi mercaturæ studia penitus intolerabilia, & semper fuerunt ac erunt caussa, vt status ecclesiasticus magnis malis afficiatur, & prorsus tandem immutetur.

V.

Fidelibus præconibus verbi, & pastoribus ac doctoribus nihil boni facere, ac hos potius lædere, siue detractis his ad victum & cultum vitæ humanæ necessarijs, siue infamia affectis & expulsis, ab ijs qui pluris faciunt suauia & mundana, quam veritatem. Similiter & rectam institutionem negligendo, neque hanc custodiendo, contra hanc legis partem delinquitur. Et valde peccant, qui non augent neque ornant scholasticos conuentus, pro officio ac virili sua.

DE SABBATI FERIArum allegoria.

QVOD Sabbati præceptio ad nationem Iudaicam proprie accommodata fuerit, neque non tamen generalis sit in temporis & rituum piarum ceremoniarum definitione, supra dictum est. Quidam autem allegorice de concionibus propheticis, edictionem de sabbato, ad pacem eam referunt, in qua acquiescunt fideles, & feriati celebrant laude Deum per IESVM CHRISTVM. Itemq; eo vt cesSetur penitus à vitijs & iniquitate. Atq; aiunt imaginem hanc quandam esse eius vitæ, quæ post resurrectionem agenda sit cum

CHRISTO.

CHRISTO. *Tunc enim liberati ab omnibus laboribus & negocijs, ij qui crediderunt præconio gratiæ, & obtemperarunt verbo Dei, sine intermissione vna cum sanctis angelis Deum laudaturi sunt. Eruntq; tunc feriæ perpetuæ ac perennes, totius vitæ traductio, eorum quibus salus contigit, quarum hic initium est fidelium congregatio & quasi ciuitas, quemadmodum regni Dei, administratio & cura ecclesiæ in terris. Finis autem repositus est spe fidelium, à qua abest omne probrum, in ijs solennibus cœtibus, qui in celo aliquando frequentabuntur. Hæ allegoriæ absurdæ non sunt, habentq; clara testimonia scriptorum* propheticorum, Vt Esaiæ 32. Erunt opera iusticiæ pax. Et comprahendet iusticia quietem, & *fiducia durabit vsque in sæculum. Et 76. Erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. Est autem continua sabbati celebratio, solida atq; simplex & nullius iudicio obnoxia obœdientia eorum qui credunt verbo Dei, & sua abdicant vniuersa. Quemadmodum idem propheta promittens Israëlitis infinitam beatitudinem, Si, inquit, auerteris pedem tuum à sabbatis, ne facias id quod tu vis in die sancto, & vocaueris sabbata delicata, sancta* Deo tuo. *Atq; istæ, quemadmodum diximus allegoriæ commode exponuntur. Omnino autem verum illud ducendum, quod hoc loco præcipiantur & cultus sacri, & munerum administratio.*

ministratio. Totam autem rem æquum distingui atq; constitui, tam de verbo, quam secundum sermonem Dei. Hæc enim designatio quædam immutabilis seruanda est, & quicquid illi contrarium, aut quocunque modo absonum, id neque Deo placere, neque acceptum esse ecclesiæ Christi statuendum est.

De traditionibus & constitutionibus ecclesiasticis.

CVm hoc præceptum complectatur editionem de cultibus, quæritur hoc loco de ecclesiasticis ordinationibus, & autoritate condendi leges, & proponendi canones in ecclesia, &, vt semel dicam, de principatu & potestate ecclesiastica. Cum autem hæc quæstio sit admodum difficilis, & de ijs, quibus quoque tempore administratio religionis vel conseruetur, vel corrumpatur, & nunc illa mota, multiplices simul turbæ excitatæ sint, Nos quidem non ij sumus, qui incidentes controuersias possimus dissoluere, hocq; neutiquam conueniret tractationi institutionis huius, sed inquisitioni rerum maximarum. Veruntamen, quoniam ecclesiastica administratio, tanquam ædificium antiquum & negle-

neglectum, hac potissimum in parte laborat, & quasi nutat, recte nos facturos esse putauimus, de hoc etiam admonere vos eorum, quæ cognoscere operæprecium sit, simul vt tuta & firma sententia sit, simul, responsio, si vsus hanc forte requirat, quo dirigatur, ne desideretur. Sciendum igitur bifariam de cultu diuino verba fieri. Primum, quod verum cultum & gratum Deo constituat obseruatio eorum quæ præcepit Dominus, & vt seruiatur ei secundum verbum ipsius ab eo qui neque demat aliquid, neque addat. Secundo, alterum esse accessorium, intelligentia nostra & studio famulante diuinæ voluntati, vt omnia decore & legitime peragantur & ordinentur, in vnaquaque regione atque ciuitate, ne quid geratur confuse & tumultuose, ac potius omnia vt administrentur religiose & considerate, tanquam in conspectu Dei & angelorum. Quod autem cultus pietatis & seruiendi operas, non velit perfici Deus secundum humanam opinionem, sed ad suæ explicationis ductum, omnium maxime persuasum nobis esse debet, & sacris literis manifeste demonstratur. Dicit enim DOMINVS, Hieremiæ 7. cap. Verbum hoc præcepi eis mandans: Audite vocem meam, & ero vobis DEVS, & vos eritis mihi populus, & ambulabitis omnibus in vijs meis, de

quibus ego vobis præcepero, vt bene sit vobis. Et rursum: Audite vocem meam, & facite omnia quæcunq; præcepero vobis. Et ipse saluator vsus dicto etiam Esaiæ, increpat eos qui statuunt de humanis cogitationibus, & ex traditione colendum esse Deum, Recte prædixit de vobis inquit, hypocritæ, Esaias, dicens: Appropinquat mihi populus iste ore suo, & labijs suis veneratur me, cor autem ipsorum longe distat à me, frustra autem colunt me, docentes mandata hominum & doctrinam. Et Esaias rursum: Per me, inquit, sanctificabunt nomen meum. Ex his igitur manifestum fit, Quod omnem cultum qui quidem placere Deo debeat, & qui religionis & pietatis mereatur nomen, pendere oporteat ex solius verbi Dei mandato & constitutione. Et quicquid hoc non compræhenditur, si cultus & veneratio perhibeatur, id nihil ab idololatria differre existimandum. Nihil enim est quod fabricetur simulacra nisi mentis sculptura & expressio, (ea est autem falsa opinio de religione, in eo vt consideratio intendatur eorum cognitioni, quorum animus & ratio hominis capax est) non audientis id quod in ipsa loquitur Dominus Propheticis & Apostolicis concionibus. Nam hoc pacto celeriter existit peruersio veritatis, & contra errores introducuntur, quos Deus extremum in modum odit. Quapropter Hieremias plane negat, Deum quicquam

quam mandasse de holocautomatis & sacrificijs, sed vt audiretur vox ipsius. Atque tum etiam sensim corrumpitur is cultus qui diuina edictione constitutus est. Ob quam potissimum caussam exitia vltimi interitus diuinitus immittuntur tam ciuitatibus, quam gentibus, quemadmodum ait Propheta Amos, & ex illo dictum sanctus Stephanus excerpsit: Nunquid victimas & sacrificia obtulistis mihi, Domus Israël, quadraginta annis in deserto? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Remphan, effigies quas fabricati estis vobis ipsis, atque transferam vos vltra Damascum. Necesse igitur est, omnia quæ in ecclesia geruntur & exercentur, aut secundum verborum præscriptum diuini mandati & constitutionis fieri, aut à sententia saltem huius non recedere. Quod ad verborum præscriptum attinet, res est manifesta. De sententia autem diligentius est quærendum. De qua quandocunque diuersæ sententiæ forte inciderunt, tunc sancti & pij & periti sacræ scripturæ oraculorum episcopi & præsides Ecclesiæ conuentu habito dispexerunt, & secundum id quod sacræ literæ ostendissent, dissoluerunt ambiguitates, & falsa execrati exterminauerunt. Atque hactenus quidem res dubia aut controuersa non est, quæ autem sequitur quæstio, de constitutionibus ecclesiasticis deq; traditionibus, vt vocantur, magis

variam habet contemplationem & hæsitationem. Ante omnia autem hoc teneatur, ambabus vt aiunt manibus, Non esse in ecclesia vllum præceptum quasi æternum & immutabile, & per omnia necessarium, præter ea quæ præscriptis verbis sermone Dei constituta sunt. Hæc ipsa enim sunt quæ tradiderunt apostoli ecclesiis accepta à Domino, inq; his princeps est doctrinæ atq; præconij traditio, cuius ius quoddam perpetuo inuiolabile est, & deleri nullo modo potest. Secundum illam est traditio Sacramentorum & sanctæ atque dignæ cultu diuino vitæ, quæ & ipsa induci nequit. Tertium locum obtinent traditiones constitutionum & legum, consentaneæ cum doctrina fidei, & consonantes scriptis & manifestis præceptis, CHRISTI & Apostolorum, quas & ipsas transgredi sine discrimine nullo modo licet, non tamen penitus & semper & vbique similiter immutabiles esse censendum. Valent enim tales traditiones, tam ad tempus certum quam in gente aut ciuitate quapiam, & per opportunitatem, & si qua præterea considerari solent, quapropter illæ merentur custodiri, vt gerantur omnia decore & moderate & religiose in ecclesiasticis negocijs & cœtibus. Exemplum autem & argumentum clarum & magnum est, non esse simpliciter eiusmodi istas constitutiones quæ solui nequeant,

quod & Apostolorum prima synodica edictio, postea abrogata fuerit. Non profecto ijs qui illam neglexerunt, contemnentibus apostolicam dignitatem, sed simplice mente communem libertatem retinentibus, cuius traditionem inprimis se accepisse scirent. Oportet autem abesse scilicet ab hoc traditionum genere, quicquid contrarium est verbo Dei, & quicquid corrumpit immobilem & æternam veritatis traditionem, secundum consentaneam concordiam, & continuam omnium sanctorum à prima mundi origine. Si quis igitur traditionibus huiusmodi, siue apostolorum ipsorum esse perhibeantur, seu eorum qui post illos præfuerunt ecclesiis, talem præstantiam inducit, vt ex æquo firmas esse velit scripturæ præceptis, de quibus nulla est controuersia, aut veritatis (quod est verbum Dei Iohan. 17.) salutem & religionis necessitatem & spem fidei illis applicat: hic iam amplius audiendus non est, vt qui conuellat & euertat fundamentum salutaris doctrinæ & præconij Euangelici. Quæcunque autem neque aduersantur verbo diuino, neque seducunt aut abducunt mentem à veritate, neque falsam opinionem religionis introducunt, si sint vtilia & decora, & honesta & grata vel quocunque modo quadrent tempori, loco, & rationi præsentis vitæ: huiusmodi, inquam, quæ sunt,

cum

cum à præsidentibus in administratione & curatione ecclesiastica quoq; tempore, ad incrementum ecclesiæ & vitæ laudabilis vsum, statuuntur, de ijs quæ Media seu indifferentia vocantur, vt sunt quæ consueuerunt edicere & decernere, de ornatu sacerdotali. De diebus festis aut profestis. De temporibus & loco conuentuum ecclesiasticorum. De ieiunio & victu conueniente. De cantibus & hymnis & precibus publicis, & vt breuiter dicam, de habitu quodam & forma administrationis ecclesiasticæ: Ista igitur non cum necessitate aut superstitione, neque vt iugum quoddam imponatur, vel laqueus vt inijciatur fidelibus, sed per concordiam & piam considerationem, ad corrigendum confusa, animo benigno & moderato, quando præcipiuntur & traduntur, omnino custodienda, neque vnquam contumacia aliqua euertenda, aut maleuolentia infectanda sunt, ac potius qui talibus refragantur, cum ipsi magnopere peccant, tum huiusmodi tanquam tumultuatores & seditiosos & improbos declinare, vel etiam remouere omnino oportet. Quemadmodum autem istis contentiosis & audacibus nequaquam indulgendum, sed obuiam eundum est confidenter, vt violentis & petulantibus & perturbantibus ecclesiam: sic quæ adducuntur & proferuntur, tanquam tradita à veteribus, aut quibus prætenditur nouitia quædam

dam

dam potentia atque dignitas, ea admitti non oportet, ſiquidem ſunt eiuſmodi, quemadmodum diximus, vt vel pugnent cum ſcripturæ aſſertionibus, aut dogma præconij, & ſanam fidei doctrinam corrumpant. Atque eſt haud difficile iſta cognoſcere & diſtinguere, ſi quibus non eſt propoſitum aduerſus veritatem contendere, quorum vero ſententiæ & intelligentiæ hanc aut illam in partem obducit caliginem ſiue ambitionis atrox malum, ſecundum Tragœdiam, ſeu inanis gloriæ affectatio, ſeu peruicacia, ſeu auaricia, ſeu voluptatis ſtudium, ſeu quid aliud eorum quæ occæcare mentem & peruertere animos conſueuere, ijs non contingit neque continget contentionis malæ quies, quos relinquentes iuſto iudicio Dei, manifeſtam veritatem pro virili amplectentes teneamus. Cum hoc igitur dicitur, Traditum aliquid eſſe, (nam traditionibus etiam vtendum eſſe non negamus) tunc, cum propter temporis ſpacium & ambiguitatem doctrinæ, & rerum deprauationem, duo potiſſimum iſta inquirenda videntur eſſe, vtrum traditio illa fidei ſit & quæ hanc comitantur, aut alioqui conſtitutionis & ordinis in re eccleſiaſtica. Atque illa prioris generis conſona eſſe per omnia neceſſe eſt Apoſtolicis & Propheticis ſcriptis, quæ diuinitus inſpirata & ſunt & eſſe dicuntur, ac potius illas de his excerpi oportet, vt ex ſolo & mani-

manifesto verbo Dei robur & autoritatem nanciscantur. Secundum id quod dictum est in priore epistola ad Corinthios à Paulo: Tradidi vobis inprimis quod etiam accepi, Christum esse mortuum pro peccatis nostris secundum scripturas, & cætera. Et ante hæc: Ego enim accepi à DOMINO *quod & tradidi vobis, quod Dominus* IESVS *&c. Quod si quis decernere aliquid præter ea quæ scripta sunt audet, & sancire tanquam dogma, is sciat, Oues* CHRISTI *alienam vocem nullo modo audituras esse. Vt, verbi gratia, Si quis tradita de imaginibus & reliquijs sanctorum aliquando hominum, quorum manifesta falsitas est, nunc etiam defendere & magnifacere velit, cum illa à veteri apud gentes cultu simulacrorum nihil differre videantur. Alterum genus habeat illud quidem & suum quoddam ius, quemadmodum par est, non quale tamen dogmatis immutabilis & perpetui, sed tanquam rogationis & constitutionis, honestatis & ordinis gratia. Vt, viros aperire caput inter precandum debere, mulieres autem operire. Et qui sacris operantur talem quampiam, quæ deceat vestem induere. Ac statuamus recte fecisse Eulabium episcopum, qui priuarit functione muneris filium suum, propterea quod amictus fuisset veste non conueniente sacerdotis dignitati, cuius quidem ingenij malitiam,*

& im-

& improbitatem animi plane coarguerunt hæretica dogmata, quæ ille postea protulit. Sane principatus aliquos esse oportet, & ferri leges atque regulas proponi, locis & vitæ generibus, & temporibus diuersis, nisi cuncta confundi velimus. Verum ad hæc, morum & status ordinationes, annectere sanctimoniam religionis & cultus diuini, aut placationes, aut merita, & venerationes atque iusticiam coram Deo, necnon conciliationem propriorum operum: Hæc inquam & his similia, pugnantia nimirum omnino cum doctrina veritatis & sacrarum literarum traditioni, & concordi ecclesiæ sententia, improbanda atque fugienda sunt, tanquam veritatis & fidei pestis, & testamenti CHRISTI *labes. Hisq; omnibus opportune opponi possit, defensio coram pontificibus Apostolorum exposita in historia apostolica. Quod obædire iussis Dei magis oporteat quam hominum: Quod si veterum aliqui indistinctius & minus exquisite de his disseruerunt, non ideo tamen oportuit cum discrimine & periculo atque etiam vitio rerum, & ad infinitam principatus potestatem, statuendi quiduis in ecclesia, liberata sanguine filij Dei, illa proponi, & errores his armari, vt validiores redderentur, & veritatem vrgerent atq; premerent, eratq; magis pium ac iustum, explorare dicta illa, & perpendere quid modo fiat, & errata*

coarguere,

coarguere, & non assentari malo tanquam morbi, & vitium vestire atq; occultare, ne pudorem afferat conspectum, cum sic tamen remedium illi inueniri posset. Sed hæc magis optari quam fieri posse videantur. Non enim Dei gloriam, sed ab hominibus quærunt plerique. Dicendum tamen est verum, vt auertatur vnusquisq; expetens salutem à mendacio, & sequatur veritatem, in omni constantia animi & doctrina, quemadmodum Timotheo sanctus Paulus præcepit. Fore enim tempus cum ferre magis nolint sanam doctrinam, sed prurientes auribus accumulaturi sint secundum cupiditates suas Doctores, & à veritate quidem auditum auersuri, ad fabulas autem conuersuri. Sobrium igitur vigilantemq; esse oportet, non in contumacia sed custodia fidei veritatis per omnia. Sed nos hoc loco disputatione ista finita ita ad alia præcepta accedamus.

De quarto præcepto.

Hoc loco pleriq; initium constituerunt secundæ tabulæ, & hanc numero quartam fecerunt edictionem. Iosephus autem enarrans antiquitatem gentis Iudaicæ, decem capita oratione Mosis exposita, & ab illo relicta, non fas esse ait ad verbum eloqui plane, sed quid illa possint demonstrans,

monstrans, ita tandem enumerat. Atque id quod de occultanda elocutione, ille censet, cum Iudaica amentia, vt alia in hoc scriptore plurima, coniunctum est. Sed enarratio ipsius tamen hæc est. Docet itaque nos primum orationis caput, Deum esse vnum, & hunc solum venerandum esse. Secundum iubet nullius animantis imaginem effingere & adorare. Tertium, Nulla leui in re Deum iurando testari. Quartum, seruare septimum quemque diem quiescendo ab omni opere. Quintum, colere parentes. Sextum, abstinere à cæde. Septimum, non esse adulterum. Octauum, non committere furtum. Nonum, non esse falsum testem. Decimum, nihil quod alterius sit concupiscere. Atque hunc ordinem aliqui sunt secuti. Nobis autem non tantopere studendum (etsi hoc quoque studium ex iis est, quæ ad pietatis institutionem necessaria sunt) voculis quibusdam distinguere & enumerare præcepta, quantopere annitendum est, vt animo hæc inscribere, & meditando disponere possimus. Sit igitur quarta præceptio, secundum ordinationem vsitatam, illa quæ iubet colere parentes, & consequentia decente separata ista simul septem capita à prioribus tribus, vt quæ explanent diuinas res & pertinentes ad religionem, qui proprie cultus nominatur, cum ista magis vitam humanam conforment ad eum modum, quo in

communitate mutua pietatis amantes degere, & quo pacto inter se & alios versari oporteat, per obœdientiam quidem præceptorum Dei, *sine querela autem ad alios homines, conficientes huius peregrinationis tempus. Sunt autem hæc ea fere de quibus verba faciunt Philosophi disputantes de virtute & vitio, & quæ legum scriptores exequuntur, edicentes quæ tam faciendo quam fugiendo aliquis recte & sicut conuenit, vitam traducat, & declinans legitimas pœnas, boni ciuis locum teneat. Atque Philosophi docent, virtutem esse natura honestum & laudabile, vitium vero culpandum & turpe.* Dicuntque *virtutem esse habitum quendam animi cum proposito earum actionum quæ recta ratio præcipiat. Rectam autem rationem, sincerum mentis iudicium insitum illud omnibus, de faciendis atque fugiendis. Quod autem virtus cum* Deo *grata, tum apud homines gloriosa sit, omnes fere affirmarunt, qui de hac mentionem fecerunt. Plato certe plane ait, castos & innocentes atque moderatos,* Deo *esse caros, & aurum vniuersum tam supra terram, quam infra terram, cum virtute comparari non posse. Et feruntur hi versus Poëtæ cuiusdam,*

Iusti viri immortalis est & ad Deum
Et ad homines, vigetq; semper gloria.

Vnde

Vnde manifestum sit, Quod naturæ lex sit confirmata illa quidem Dei mandato, vt virtuti in hac vita studeant homines. Humana vero cogitatio, etsi persuasum illi est,

Bono, bonum quod sit, Deus tribuat viro,

Quodq; præclarissima res sit, frugi & sobrium esse, & Deum venerari, secundum Euripidem: contra vero

——— Eum qui sit malus

Et improbo ingenio Deus quod puniat:

Non tamen se in voluntatis Dei cognitionem intendit, neq; honorem illius spectat, sed expetit bonum & commodum aliquod, quod de isto studio obtingat. Cuius facti homines compotes, religionem colunt, & videri volunt ij, à quibus Deus diligatur, falsi autem opinione sua, & aduersis correpti, deplorant suam miseriam, & tam Deum quam homines accusant, donec iam ad religionis contemtum extremum delati & impij redditi, ne numen quidem esse diuinum perhibent, quod quidem natura sua æternum & liberrimum, habeat in se moderandi omnia potestatem, & quod humani generis curam gerat, & in summa, quod mundum istum gubernet. Alias igitur ad alia se vertens cogitatio, nihil de Deo certi potest concludere. Vnde & illa in Tragœdia infelix Hecuba, dum voluptatem quandam capit de spe supplicij quo Helena

afficeretur, ea loquens producitur, quæ sentiunt in grauibus casibus homines ignari veritatis diuinæ & contumaces, ait igitur illa exclamando,

O qui vehis terram, inq; terra sedem habes,
Quicunq; es, haud facilis hominibus cognitu
Iuppiter, in hac necessitatem seu vocem
Natura, seu mortalis ingenij decus.

Videtis istam mulierem circumspicientem intra se numen diuinum, penitus aberrare à Deo. *Indidem pullularunt & Protagoræ de virtutibus falsæ conclusiunculæ, & Epicuri impia dogmata, &* eorum qui perhibent, *lege & opinione esse honestum, non natura. Quales Polyarchi sunt ineptiæ* apud *Athenæum* lib. 12. & *refertur simile dogma Archelai. Nos autem pro indubitato teneamus, actiones virtutis plurimum habere momenti, ad qualemcunque huius vitæ felicitatem, esseq; has propter se ipsas expetendas, vel, vt verius dicam, propter voluntatem Dei, cuius benignitas & fauor hanc illis existimationem attribuit. Quæcunque igitur etiam à Philosophis qui hoc argumentum sumserunt ad explicandum, splendide & magnifice dicta sunt, ea recte se habere, & esse vtilia atque vera censendum.* Nam *honestum & laudabile (vt quidam dixit Ecclesiasticorum scriptorum) vbicunque fuerit, proprium veritatis est, sed finis semper accuratissime addendus est,* Deo *scilicet debitæ obœdi-*

obœdientiæ, & vt ad ipsum referatur vniuersum quasi ministerium studij bonarum & honestarum actionum. Nam quod eos qui diuinam pietatem exercent, necesse sit contendere ad laudem talium actionum, & nos supra ostendimus, & Apostolicæ doctrinæ præcepta vbique declarant. Sed religionis excellentia & eximium munus hac quoque in parte, est mens respiciens Deum, & animus promtus obtemperandi in hac vita legibus virtutis, qui in illis tantum inest qui Deum cognoscunt, & in cognitione venerantur, ij sunt nulli alij, nisi illi quicunq; amplectuntur Euangelium, vt secundum sanctum Paulum, finis sit legis Christus ad iustiçiam omni credenti, et vt nos percipiamus finem fidei nostræ, salutem animarum, vt ait Petrus. Non igitur Socrates continentiam præstans, & parens legibus, & fortiter iniustæ sententiæ mortem obiens, ideo Deo carus est. Dici enim hoc nequit, cum longe à vero absit, quod primum alienus ille fuerit à vera Dei cognitione. Deinde, an & quæ fides esset, eorum quæ ipse Deus, de natura & propria voluntate patefecit prorsus ignorauerit, fiduciam vero misericordiæ Dei propter CHRISTVM & preces, si quid de his audiret, derisisset. At Paulus in omnibus istis & similibus alijs operibus bonis vitam degens, & placet Deo, & ab hoc diligitur. Nam & religiosa est

ipsius cognitio, & fidelis obœdientia, quæ præstatur voluntati eius, & finem semper spectat, vt Deum colat atque glorificet operibus bonis. Sed de his quoq; supra diximus non pauca. Cum constet igitur, cuncta quæ legitime fiunt, & opera bona, cultus atq; venerationis locum obtinere in ijs qui credunt, in cæteris esse popularem & ciuilem tantum virtutem, & bonum humanum, ita deinceps de propositis prosequamur reliqua.

Hoc præceptum de honorandis parentibus, accipiendum est vt generale. Omnis enim principatus & potestas & ius herile, super hoc præcepto tanquam firmo fundamento consistit. Non tantum enim ij qui nos genuerunt & pepererunt, sunt & dicuntur patres atque matres, sed illi quoq; qui præsident, & curant nos, & opis indigentes manu sua protegunt, & ex aduersis eripiunt, & omnino alicuius boni autores sunt. Et tanquam gubernatores sunt transeuntis per hanc vitam nauigij, quo ferimur veluti in mari. Et quicunque doctrina sua hortantur ad meliora. Quapropter & in communi sermonis vsu patres vocantur familiæ Domini, & Syriæ præfectum Naamanum, serui appellant patrem. Atque est vt liberorum, ita aliorum quoq; potestati alterius subditorum commune nomen puerorum. Est autem distinctio ista diuinæ effectionis atque institutionis, vt imperium & potestatem

*statem habeant quædam, quædam pareant atque subijciantur. Quemadmodum in orbibus celestibus imperium quoddam solis est splendentis & producentis lucem, paret autem luna, tantum repræsentans lucis, quantum ille fulgore suo indidit, secundum quam diuersis hæc figuris conspicitur. Omnino autem existimandum est, imperij & principatus constitutionem diuinam esse, neque fortuito propter vsus vitæ humanæ exortam ita conualuisse, & necessitudine corroboratam permansisse. Cum autem coli hos caput legis iubeat, nimirum esse etiam illos asserit. Quemadmodum igitur procreatio nascentum opus non est, sed efficitur ea vi naturæ,*quam coniugio attribuit Deus: *sic non est principium atque subiectorum caussa, ad humanam calliditatem aut cogitationem referenda, sed ad diuinæ prouidentiæ ordinem. Primum itaq; parentes naturales, & quicunq; alij secundum ordinem diuinum præpositi nobis sunt, quibus subijcit obtemperaturos præceptum, hi igitur discant, se esse secundum Deum honore præcipuo dignos, & ordinem illustrissimum, & eos, qui quasi vicem gerant illius in terris, cum custodes legum sint, & diuinarum edictionum, ministriq; Dei & curatores, quos diuinum sacrarum literarum eloquium* etiam Deos *nominat, quod sint tanquam præsides in terra* DEI *homines.*

Atq; hinc cogitent, quantam attentionem in ista curatione, & quam diligentiam respectus suorum adhiberi oporteat, vt subiecti imperio suo in tuto versentur, & ipsi reperiantur ministri fideles, & dispensatores prudentes Dei. Non enim *certe ad vim & iniurias & superbiam condidit potestatem dominandi Deus, sed ad consulendum & agendum omnia, quæ ad subiectorum salutem simul & prosperitatem pertinent. Hic enim ordo, illa vero ordinis perturbatio fuerit, cuius caussam in beneficum Dei numen conferre, neutiquam pium existimandum est. Cogitent autem hoc quoque. Quemadmodum hæc in terris* excellentia & potentia & gloria peculiariter *sibi tribuatur vt merces operæ, diuinarumq́; legum custodiæ, in eo vt puniant malos, & benefaciant bonis: ita negligentiæ & magis etiam improbitatis & scelerum atque crudelitatis grauissimam pœnam esse sustinendam. Ipsa vero dignitas & venerabilitas nequaquam propria illorum est, qui hanc quasi personam gerunt, sed constitutionis diuinæ. Non igitur debent potentes, & iure dominationis præstantes, animis efferri intra seipsos, tanquam asinus, secundum prouerbium, gestans arcana sacra, cunctos enim Deus qui pergunt superbire, valet reddere humiles, & Dominus est excelsissimus Deus regni humani, & cuicunque visum fuerit, ei illud confert,*

fert, inquit Daniel. Nihil autem prohibet excellentiam & ius dominationis distribuere quasi in gradus quosdam hoc modo. 1. Patris matrisq; erga liberos. 2. Viri in legitimam vxorem. 3. Magistrorum in discipulos. 4. Senum in iuniores. 5. Domini in seruos, & quorum iuri atque potestati alij subiecti sunt. 6. Principum in eos quorum illi sunt principes. Horum sunt plures formæ, quapropter generaliter præcipit Paulus Apostolus, Sub principatus atq; ius dominationis subijci. Petrus autem re quodammodo distincta, ita ait: Subiecti itaque sitis omni creaturæ humanæ, propter æternum Deum, siue regi tanquam excellenti, seu ducibus & præsidibus, tanquam ijs quos ille mittit, ad vindictam quidem maleficorum, laudem vero beneficorum.

DISTINCTIO CVLTVS ET honorum.

Cum præceptum iubeat colere & honorare parentes, nosq; notauerimus esse hoc generaliter de omni iure dominationis & potestatis accipiendum, reliquum fuerit indicare in quibus cultus iste & honor versetur.

I.

PRIMVM igitur, ob pacatum & ordinatum & tranquillum vitæ statum, & omnia commoda quibus fruimur, tam vitæ quam prosperitatis huius compotes, & de parentibus nobisq; præpositis alijs, sine intermissione gratias Deo agere atque precari debemus. Hoc enim honestum & acceptum est Deo, nostræ salutis autori, vt scribitur in priore epistola ad Timotheum.

II.

Secundo debemus subijci & obœdire ipsis, non modo propter iram, sed propter conscientiam quoque, vt scribitur in epistola ad Romanos. Qui enim resistit iuri dominationis, is Dei ipsius constitutioni resistit, cui resistere audentes, iudicium sustinebunt. De vxoribus autem & liberis & seruis, in epistola ad Colossenses ait Paulus: Vos mulieres subditæ sitis viris vestris: vos liberi obœdite parentibus per omnia. Hoc enim valde placet Deo. Vos serui obœdite per omnia dominis humanis, non vt in speciem seruiatis, tanquam qui hominibus placere velint, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Morigeri igitur sunt ij, quibus cari sunt parentes & domini, & quorum ductum sequi debent, quiq; his inseruiunt omni legitima seruitute, alentes curan-

curantesq; pro virili sua eos à quibus sunt procreati, quiq; definitum natura ac legibus tributum conferentes, suo loco libenter & sedulo inseruiunt. Ille autem Canis Diogenes latratu rabioso negauit gratiam parentibus esse habendam. De ministerijs autem & tributi collatione, scriptum est & in epistola ad Timotheum, & in epistola ad Romanos. Vbi iubemur omnia omnibus debita persoluere, Tributum, vectigal, metum, honorem, vt nihil cuiquam debeamus, præter mutuam caritatem.

III.

TERTIA erit obseruantia & reuerentia, quæ debetur tam parentibus quam dominis & magistratui.

IIII.

QVARTA simplicitas inseruiendi & obœdiendi ijs qui præsunt, ne quis calumnietur actiones potentum, vtq; ferantur æquo animo peccata horum. Sicut Petrus iubet famulos subijci omni timore heris, non modo bonis, sed etiam prauis.

Omnino autem sciendum præcipi conuenientem hominibus honorem, & quod propterea adoratio debita Deo, & quædam deificatio hominum, & quæcunq; alia similis assentatio, tanquam manifesta idololatria, id est, cultus simulacrorum fugien-

fugienda sit, vt cum Alexandrum in Deorum numerum retulerunt assentatores, & Rhodij consulto oraculo, an suaderet Ptolemæum Lagi filium colere vt Deum, illoq; assentiente, extruxerunt fanum cognomento Ptolemæi. Quemadmodum narrauit Diodorus. Genuum autem flexio, & abijci ad pedes, quod legitime & more fiat, neutiquam tanquam impium reijciendum est.

QVOVSQVE PERTINEAT præceptum obœdientiæ.

Obœdientia autem hæc intelligenda est de ijs *quæ imperantur cum neque turpia sint, neque nefaria neque impia. Nam his penitus est repugnandum, & nullo modo committendum, vt postulatio euertens voluntatem Dei, præponatur manifestæ sententiæ huius, semperq; in promtu* hoc est habendum, Dei potius imperio esse parendum *quam hominum. Istiusmodi igitur iussis fortiter aduersantes, & obœdientiam sinceram conseruantes æternis diuinæ legis edictionibus, cætera permittemus Deo, & patiemur quicquid fuerit necesse. Sed turpia illa atque iniusta talia esse sine controuersia oportet, & non videri, neq; opinione ficta constitui, cum semper aliqui præsentem statum ægre ferant, qui plerunq; turbulenti*

lenti sunt, & nouarum rerum autores. Qui increpandi sunt hoc quodam modo.

Quem Deus constituerit huic obœdiri decet,
Parua imperanti & iusta, & his contraria:

Sane ea, quæ contraria esse videantur curiose inquirentibus, & scrutantibus aliena, & querentibus abrumpere quasi uincula obœdientiæ. Semper enim isti inuenerint quod culpare possint, tanquam iniustum, & non legitimum atq; violentum. Nos autem iubemur non modo non argutari de negocijs, quæ tractantur ab ijs quorum potestas & ius est in alios, sed subijci etiam minus clementibus, & plurima quæ potentes agant, non cernere. Non tantum vt nos tuti simus, verum pietatis quoque gratia, pacifice viuentes in subiectione propter conscientiam, quemadmodum dictum est. Non obtemperare autem ijs quorum est potestas & ius cuiuscunque principatus, & circumspicere non parendi caussas, aut etiam lapsus aliquos ad exagitandum arripere, neque Deo est gratum, & communem in hominum vita vtilitatem lædit. Vnde Aristoteles recte & vtiliter præcepit inquiens in secundo Politicorum libro: Manifestum esse, quod relinquenda sint quædam peccata tam eorum, qui leges scribunt, quam magistratuum. Non enim, tantam percepturum commoditatem eum qui exagitauerit, quantum detrimen-

detrimentum allatura sit consuetudo refragandi magistratui.

Hoc loco notare aliquis sane possit, veteres leges de potestate & iure alieno, latas fuisse ad inhumaniorem & prope iniquiorem modum, quibus concessum esset, non seruos modo, sed vxores quoque dominis & maritis punire sine condemnatione iudicij. Nec non natos è medio tollere, exponendo, aut quocunque modo libuisset. Nam affectio amoris cum sit innata & propria creaturæ Dei, prima hæc scilicet fuerit naturæ quodam ordine in parentibus, & ita à prole ad ipsos quodammodo recurret. Coniugum autem ad necessariam societatem vitæ, & habitationis communitatem perfectam, fortuna est dignitatis æqualis. Quo autem imbecillior sexus muliebris, eo maiore est studio & cura dignus. Sed crudelitas in seruos, obliuio fuerit in omnibus communis sortis hominum. Par est igitur educare liberos sine recusatione, & diligere coniuges, non spectantes voluptatem, sed suscipiendorum liberûm & castæ consuetudinis caussa. In seruos etiam iusta erit animaduersio non tyrannica, sed herilis potestatis. Eritque hoc omnibus in animo, Quamuis seruus, secundum Comicum, aliquis sit, non tamen minus eundem esse hominem.

DE

DE TYRANNORVM
cæde.

Quærere fortaſſe aliquis hoc loco poſſit etiam de lege, quæ apud Græcos fuit lata de cæde Tyrannorum. Sed hæc nihil ad nos, vbi regna & principatus conſtituuntur legitime, vel ſuffragijs, vel perpetua ſucceſſione. Quapropter ſubiectos omnes eſſe oportet, quemadmodum dictum eſt. Atque in præſentia hæc conſideratio prætermittenda eſt, vt quæ magis ad rhetoricam exercitationem quam conſiderationem religioſam pertinere videatur.

De principatu ſacerdotum.

DE principatu autem ſacerdotum alia fuerit diſputatio. Nam nunc propoſita eſt explicatio de ijs quæ referuntur ad vitam in terris, quæ eſt corporis & ciuilis. In quam & natos produci, & in communitatis vſu permanere neceſſe eſt. Quapropter tam vitæ, quam vtilis in hac conſuetudinis autores et duces, tanquam maximorum beneficiorũ fontem & cauſſam, ſi qui non colunt pro uirili ſua, et quemadmodũ pro ſua quiſq; parte debet, eos vt impia obliuione gratiæ inquinatos, & ſcriptæ apud omnes, vt dicitur mortales,

leges

leges puniunt, & diuinam animaduersionem isti effugere non poterunt, violantes per impudentiam leges, quæ ducit ad omnem turpitudinem. Hæc autem ad corporis & ciuiles principatus ac *gubernationes, & ordinem, consideratio tota* pertinet, *in quo genere ecclesiastica potestas & sacerdotum præstantia non est collocanda. Si ipsi autem hanc sibi vendicant, occupantes tanquam arcem ciuilis potentiæ, deiectis dominis, non recte faciunt, soluentes ordinis iusti diuinam legem, & huius vice introducentes confusionem. Christus itaq; accusat Pharisæos grauiter, qui irritum facerent mandatum de honore parentum, per* propriam traditionem. Habet igitur *principatus in Ecclesia imperium ministerij & doctrinæ, atq; etiam supplicij, si qui contumaciter despiciant sanam doctrinam, & admonitiones mitiores. Et rursum sanationis & consolationis, si qui conuertantur, & si quos pœniteat delictorum. Estque his commissa spiritus non carnis cura. Atque huius discriminis debemus meminisse, ne in confusione maximarum rerum errantes, amittamus veritatem, & hac in parte grauissimo detrimento afficiamur. Distinxit autem hos principatus Christus ipse perspicue, dicens: Principes gentium dominantur illis, & à magnis exercetur potestas in subiectos ditioni ipsorum. Inter vos sic non erit. Et rursus: Reges gentium dominantur illis,*

illis, & quorum hæ ditioni subiecti sunt, ij benefici vocantur. Vos autem non sic. Si quibus igitur alijs dignitate præstantibus, certe ijs qui in ecclesia Dei *præsident, debetur obœdientia & honor. Isti enim imperio alia subiecta sunt omnia, quippe quod in regno celorum renunciatur, cum illa in terris potentiam exerceant. Autoritatem autem ecclesiastici principatus, si quis futilem & contemnendam esse existimat, is sciat se Christum ipsum pro nihilo ducere, qui inquit: Qui vos audit, me audit: &, Qui vos spernit, me spernit. Est igitur ecclesiastica excellentia maxima, sed huic conueniens fuerit alia oratio,* quam qua ornentur ciuilia imperia atque iura. *Et nos in præsentia* de illa plura *dicere non sit forte opportunum. Quæ autem hominum sint delicta contraria huic edictioni, de ijs quæ commemorata sunt, manifestum fit. Non enim exequentes iussa legis, ij nimirum legem violant inobœdientia. Si qui autem animis furentibus ausint etiam contraria his aggredi, hos iam vltimis quoque supplicijs obnoxios esse oportet. Quæ etsi interdum morantur, omnino tamen corripit tandem iusta vltio pergentes in ista lasciuia & vesania. Quales sunt qui patrem aut matrem pulsant, & seditiosi* atque *contumeliosi, & susurrones, qui* conuicijs *& maledictis incessunt parentes, doctores, magistratus. Itaque & Pau-*

I *lus inter*

lus inter extrema peccata numerat, expertem amoris affectionem, & non obœdire parentibus. Cum autem omnia præcepta habeant & promissiones, si seruentur, & minas, si negligantur, hæc prima est, quemadmodum etiam ante diximus, quæ diserte cum promissione prolata est, secundum sanctum Paulum. Ac nos tantum de hoc præcepto monendo locuti, videamus iam ea quæ reliqua sunt.

De quinto præcepto.

Per omnia sequentia ordine præcepta respiciendum semper ad prima, & studium impendendum est veræ religioni in cognitione & dilectione & obœdientia Dei. Hoc pacto enim bona opera fidelium fiunt cultus verus, in alijs sunt communis tantum modi & ciuilis virtus. Manus igitur se à cæde abstinent pariter in omnibus studiosis virtutis & bonis atque honestis, propter communem vtilitatem, & quia non volunt parricidio pollui, & pœnas legum atque adeo furiarum exagitationem vitant, cum non ignorent homicidas mirabiliter interdum rapi ad supplicium, & non cessare conscientiam persequi istud scelus. At religiosi in veritate colentes pietatem & timentes DEVM, *& freti benignitate illius in* CHRISTO, *cum animam*

suam

suam puram seruare, tum Deo simpliciter se obœdientes præbere, atque maleuolentiam omnem, & insidias, & odium & inuidiam, & cunctas cogitationes inimicas humanitati, extinguere atque eradicare conantur. Soluunt autem hoc præceptum.

I.

Qui manus suas eorum sanguine polluunt, qui eiusdem generis sunt. Omnes enim homines vna quædam sunt natio, & à prima origine consanguinei atque cognati.

II.

Qui insidias struunt, & adiutores sunt in cædibus faciendis.

III.

Inuidi, iracundi, amari, calumniatores, malitiosi, conuiciatores, derisores, immisericordes, sycophantæ, qui agrestes & feri & scorpionum similes perhibentur, quærentes in quos defigant aculeos, Sphetij, & pleni veneno, & gestantes anguem in sinu. At Paulus scribens Ephesiis, inquit, Omnis acerbitas & furor, & ira & vociferatio, & maledica execratio, sublata esto è medio vestrum. Quod autem ad cogitationem

atque consilium pertineat cædium crimen, etiam legum indicat edictio, quibus cum puniantur proposito factæ cædes, non voluntarijs venia tribuitur. Iubentq; illæ semper spectari eius qui fecit voluntatem, non exitum. Ista autem Sycophantarum & calumniatorum natio deterrima est & perniciosissima, qui perdendo & interimendo aliquos simulatione callida prætendunt conseruandi studium. De hoc malo Dauides Psalmo 140. *orans, inquit, Pone* DOMINE *custodiam ori meo, & ianuam ambitus circum labra mea. Ne flectas cor meum ad verba improbitatis, vt prætexam prætextus in peccatis. Præcepti autem* enarratio exponitur à Matth. cap. 5. *Audiuistis dictum esse antiquis, Non occides. Quicunque autem occiderit, reus erit iudicio. Ego vero dico vobis, Omnem irascentem fratri suo temere, reum futurum esse iudicio. Qui dixerit autem fratri suo Raca, reus erit consilio. Qui vero dixerit* Stulte, *reus erit ad gehennam ignis. Similiterq; &* prophetæ *acceperunt illud. Atque ita Dauides Psalm.* 56. *Filij hominum, dentes eorum arma & tela, & lingua ipsorum gladius acutus. Et Psalm.*139. *Acuerunt linguam suam tanquam serpentis, virus aspidum subter labra ipsorum. Patet igitur quod hoc præceptum ad verba & cogitationes ab actionibus & manibus violentis perueniat. Sunt igitur bona opera huius*

ra huius præcepti hæc. Iustitia actionum, vt quietus aliquis & pacificus sit. Amare & beneficijs afficere alterum. Cohercere iram & vehementes animi commotiones. *Placabilitas, Aequitas, mansuetudo, simplicitas, patientia, affectio dilectionis naturalis, humanitas, moueri fortuna aliorum, libenter ignoscere. Quibus opponitur, odium, maleuolentia, iniustitia, appetitio nocendi & malefaciendi, inhumanitas, fuga societatis & crudelitas, esse implacabilem & expertem dilectionis naturalis, inaccessumq́; & nullis flecti precibus, duritia, gaudium ob mala aliena. Cuncta enim hæc parricidialia sunt, &* corrumpunt atque necant vitam humanam, *dixitq;* plane *sanctus* Iohannes, *Quicunque odit fratrem suum homicida est.*

De ulciscendo.

CVM *præceptum hoc non modo prohibeat ea quæ ad cædes pertinent, sed simul etiam imperet patientiam in toleranda vi atque iniuria, secundum hoc*: Ne *resistatis malo, incidit quæstio quædam hoc loco, vtrum omnem vim sustineri oporteat, & à defendendi atq; aduersandi vltione penitus abstineri. De hoc igitur & ipso, breuiter quædam videntur esse dicenda.*

Primum igitur clementius quodammodo dictum illud accipiendum est. Si enim sine discrimine violentiæ subiecti sumus, & pati oportebat quicquid mali offerretur absque recusatione, neque liceret propulsare : Quomodo iubemur orantes petere, vt liberemur à malo? Hinc enim nimirum sequeretur inconcessam esse Christianis, canis etiam rabiosi fugam, & contra hunc protectionem. Id quod iure existimetur absurdissimum. Non enim putandum, tam esse futilem & vilem atque abiectam animam Christianorum, vt rectum sit hanc ad quasuis impressiones semper prodi atque eripi, fraudariq; illos vita preciosissima, quæ per sanctitatem & pietatem degatur. Neque CHRISTVS *in illo certamine precans pro suis, petit & supplicat, vt pater hos tollat è mundo, sed vt seruet à malo. Manifestum igitur sit, Quod omnino concedatur legitima defensio in repugnando violentiæ illegitimæ & iniurijs, quodq; hæc crimine careat ad Deum et homines. Vnde hæc naturæ lex esse perhibetur, licere vim vi repellere. Item quod constitui nullum tempus possit, quo violentia & iniuriarum insolentia & iniquitas, tuto insultet imbecillioribus, atque priuatis, & qui placide degunt suo loco. Neque id quod dictum est, de æquali tantum conditione, & quasi gregalibus verum est : Non esse prohibitum,* eis

eis qui vim afferant, legitime resistere vlciscendo. Sed attingit ipsos quoque præsides, quibus ne ipsis quidem, vt ante etiam diximus, concedenda est aggressio iniuriam inferendi, & violandi leges petulantia. Quæ enim commemorata sunt de excellentia principum & potestate, par est accipi illa quidem de ijs qui iuste imperant, & parent legibus latis, non de petulantibus & tyrannis. Et est memoriæ proditum de Traiano, qui fuit re & nomine optimus princeps, cum aliquando digni tatem tribunatus militum conferret Licinio cognomento Suræ, traderetq; vt in more erat, ensem dependentem de cingulo, quem parazonion vocant, nudum, quod dixerit: Isto vtere pro me, legitime & iuste, contra me, iniuste & tyrannice imperante. Verum hæc delicta quibus resistere licet, & quorum detrimentum repellentes non peccauerimus, oportet sine controuersia & omnium consensione esse Tyrannica & impia & scelerata. Qualis impuritas & audacia fuerit libidinum, & violationes atque contumeliæ nefariæ, & adulteria, & latronum impetus, & prædonum rapinæ. Nam talem vim vsurpantibus, nemo qui tam pro se quam suis propugnans, resistat omnibus viribus, contra hanc legem facere iure perhibeatur. Quinetiam si quis è medio tollere possit interficiendo latronem aut raptorem, aut violentum et impurũ, is neutiq̃

peccare videatur. Verum hanc tamen concessionem non vsurpabit aliquis absque extrema quadam necessitate, qua impulsi, sic vix tamen non modo ad dimicationes & certamina, sed ad disceptationes & contentiones verborum atque controuersias legitimas deuenire debemus. Non *enim frustra hoc praecepit Christus, Si quis dextram genam tuam percusserit, obuerte ei & alteram. Qui voluerit autem iudicio tecum contendere vt auferat tunicam tuam, ei relinque & pallium. Et si quis adegerit te ad vnum miliare, cum eo perge duo. Hæc enim certe scripta sunt, vt conati efficere, obœdientes nos esse diuino sermoni* appareat. Omnes enim oportet anniti, *vt secundum voluntatem Dei viuant, neque vt doctrinam tantum religionis ostentent, sed re ipsa vt diuina mandata exequantur, maxime eo vt onera alter alterius portet. Sic enim impletur lex* CHRISTI, *vt ait Paulus. Is autem qui iustitiam facit, est iustus, secundum S. Iohannem. Præterea semper est periculosa res propulsando vlcisci iniuriam. Nam cui infertur iniuria, is nimirum perturbatur, perturbati autem plærunque à recto itinere actionum aberrant. Atque ita sæpenumero iniuriam patiens reperitur facere, transgrediendo legitimæ & iustæ defensionis fines. Quapropter & Plato asserit præstare iniuriam pati quam facere. Paulus vero*

quid

quid ait? Iam ſane defectio eſt in vobis, quod diſceptationes inter vos ſint. Cur non potius iniuriam ſuſtinetis? Cur non potius eripi aliquid vobis ſinitis? Sed vos iniuriam infertis & aliquid eripitis, idq; fratribus. Quocirca non procliues eſſe Chriſtianos oportet, ne ad conceſſas quidem defenſiones & vltiones, ſeu iuris ſui executiones, neque eſſe impatientes, ſed paratos ferre multa iniucunda & moleſta, neque eos, qui ſemper aliquid probabile reperiant quod vltioni prætexatur, fallunt enim hi, Deum quidem minime, ſed ipſi ſeipſos. De vindicta enim, qua fit, cum vel ſe aliquis vel alterum defendere videri vult, vt par pari referatur, diſerte ſcimus prohibere hoc ſanam doctrinam, quod apud homines in ſingulari opinione eſt, & magnificum ducitur. *Humilem enim magis & ſeruilem perſonam hac in parte* CHRISTVS *imponit ſuis, inquiens, Diligite inimicos veſtros, benedicite execrantibus vos, & Paulus, Benedicite perſequentibus vos, benedicite & non male precamini. Et paulo poſt, Nemini reddite malum pro malo. Et rurſum, Non perſequamini vlciſcendo ius veſtrum, ſed relinquite locum iræ, ſcriptum enim eſt, Mea eſt executio, ego retribuam. Et Prouerb. 20. Ne dicas vlciſcar inimicum, ſed expecta* DOMINVM *qui tibi ſubueniat. Neque exiſtimandum eſt in his dictis figuram eſſe hyperboles, aut*

pertinere ista ad paucos quosdam peculiariter ad perfectionem vitæ. Simpliciter enim lata est lex vniuersis, qui se Christianos perhibere voluerint. Nam est natio hæc & genus istud non mundanum sed diuinum, non terrenum sed celeste. Quod autem facile illa effici, ac potius studio & viribus humanis omnino effici nequeant, dictum est. Nihilo tamen minus conatus in his & exercitatio requiritur à nobis inuocantibus Christum, & vires à spiritu gratiæ, vt sufficiant, impetrantibus. Atque ita exercebimus nos, secundum sanctum Paulum, ad pietatem, quæ vtilis est ad omnia, & habet promissionem vitæ præsentis & futuræ. De ijs autem quibus deficimur, & peccatis præteritis, habemus aduocatum ad patrem IESVM CHRISTVM, *iustum, (& ipse placatio est de peccatis nostris, cuius sanguis facit, vt mundi simus ab omni peccato) & eum qui legem impleuit, ex cuius plenitudine & nos accepimus gratiam pro gratia, et liberatorem & saluatorem à iusta ira Dei, modo videamus, ne abutamur libertate ad occasionem carnis.*

DE ARDENTIS ANIMI VEhemente commotione qui zelus dicitur.

Eum autem, qui zelus dicitur, qualis narratur ali-

tur aliquando in sanctis Patribus, & Prophetis accensus esse, ad vltionem suam & aliorum, non existimandum est, tanquam bilis amarescentis, & animi commoti ob graues euentus, immitem vsurpantis indignationem, esse ebullientem feruorem, neq; tum prolatas execrationes ab ira experte rationis, & vindictæ cupidæ, incitatas fuisse: sed primum quidem impetum hunc quendam diuinum, ad maiorem vehementiam eam partem animi in qua ira inest instigasse, statuendum. Deinde vero & propositum assensum esse tristiciæ & iustæ pœnæ, vt nihil aliud illi cogitarint, quam quo pacto aliquis fortiter pro iusticia, sanctitate, cultu Dei, & legibus propugnans, omnibus viribus euerteret aduersantes, & bellum cum his (quæ commemorata sunt) gerentes, quamuis vita amittenda esset. Sicut Sampson, qui inquit, Moriatur anima mea cum alienigenis. Nam quæ illi iniuriæ & contumeliæ inferebantur, ea ad populum vniuersum & Deum ipsum Dominum populi, pertinebant. Quapropter cum hic ait, Quemadmodum fecerunt mihi, sic feci ipsis, et Dauides, Perfecto odio odi ipsos, hostes mei sunt: non arbitrabimur hæc esse cupidi suppliciorum & procliuis in iram, & impotentis animi, sed eius qui auersetur inimicorum Dei superbiam & impietatem toto animo, qui turbetur & zelo ardeat, propter impiorum audaciam atq; iniusticiā-

Sicut

Sicut declarans hoc Dauides ait, Eos oderam qui te oderunt, Domine, & de tuis hostibus tabescebam. Est itaque eadem ista commoti animi incitatio, in sanctis & pijs, virtus quædam heroica *atque diuina, in impijs vero & non sanctis, prauitas immanis & diabolica. Vt nimirum propriæ coniugis amor honestus est & laudabilis ad Deum & homines, contra vero qui talis non est, vituperabilis atque turpis. Quod autem ad eum pertinet, qui zelus quam æmulationem interpretati sunt, dicitur, res ea interdum manifeste diuina est, & tunc efficiens mirabilium operum reperitur, quemadmodum in Sampsone, & Mose,* ad cuius preces, terra dehiscens illam Deo re*pugnantem turbam Coreæ deglutiuit, quia ad iram prouocauerant Dominum: Interdum vero actio ista est virtutis, & communis exercitatio pietatis in præditis potestate & imperio qualicunque, quos aut non facere officium, aut commotione quadam accendi diuinitus ad legitimas animaduersiones atque pœnas, necesse est.* Non *ita quidem illos vt irascantur hominibus, & genus suum vt oderint, sed vt beneuolentiam erga cognationem seruent, iusticiæ autem truculentiam in delicta & maleficia immittant. Quemadmodum Moses, qui esset mansuetus supra omnes homines, grauiter commotus fuit animo aduersus Core & Dathan & Abiron, excitantes seditio-*

seditionem, & per vim conantes dissoluere à Deo constitutum ordinem de principatu sacerdotali. Atq; falluntur aliqui hac in parte nonnunquam etiam haud futiles, prætendentes illi quidem, aut Dei ipsius respectum, aut iustitiæ ministerium, aut aliud quod officium requirat, cum interim ambitione contentioneue implicentur. Est vero hæc affectio tabifica clanculum & occulta, ipsisq; sanctis aliquando incubans. In Iudæis sane fuere quondam hoc nomen vsurpantes, vt zelotæ perhiberentur, homines ad summam improbitatem & impium furorem prouecti. Nam verum zeloten omnino occupari ante omnia oportet diuino spiritu, neque zelum irritare cogitationibus humanis accendendo & incitando ad vehementiam actionum. Quinetiam ipsum zeloten conuenit esse neutiquam vulgarem, neque occasionem huius futilem, neque adeo, vt breuiter dicam, humanam rem sed diuinam. Quapropter gloriosa elatio & audacia, & magniloquentia, & prolapsio in pericula, & temeritas, non statim zelus fuerint, multo autem minus conuicia, contumeliæ, indignationes, sæuicia, quæ iam plerunque est prauitas quædam zeli, id quod fere declaratur exitu. Zeloten enim non oportet esse amentem & furiosum, sed contra, diuinæ primum scientiæ de veris & falsis participem, deinde sequi ita sine præiudicio, non illum quidem

propriam

propriam cogitationem, vel etiam dementiam, sed impetum ac ductum spiritus sancti. Sicut Phinees fecit æmulatus æmulationem Domini super contumacibus gentilibus, & prouocantibus perpetuo ad iram Deum, quod & esse ad iustitiam ei imputatum Psalmus dicit. Ac quærere ideo aliquis possit de eo, qui detraxit imperatorium edictum Nicomediæ cum laceraret, præsentib. ibi tunc duobus principibus: Nuncquid diuino zelo commotus & ardente fide incitatus illud fecerit, vt inquit Eusebius. Similiter & de eo episcopo, qui apud Persas euertit fanum sacri ignis, quorum vterq; caussa fuit Christianis crudelissimæ persecutionis. Atq; de eo qui fortiter aduersatus *fuit imperatorio edicto, quid pronunciarit Eusebius, dictum est. De Episcopo vero apud Persas, Theodoretus hæc scribit: Audas erat quidam Episcopus multiplice specie virtutis ornatus, ille non decente zelo vsus, fanum sacri ignis euertit, quod illi pyriū nominant, quasi focum, quod ignem esse Deum opinentur. Hac re indicio Magorum cognita, rex accersit Audam, ac primum quidem placide factum repræhendit, fanumq; illud restituere iubet. Cum autem contradiceret Episcopus, seq; hoc minime facturum esse affirmaret, minatus fuit rex se omnes ecclesias euersurum esse, atq; perfecit quoq; quod fuerat minatus. Prius enim interfecto diuino homine illo regis iusso, ita eodem*

mandante

mandante ecclesiæ sunt euersæ. Ego sane fani igniferi euersionem non fuisse opportunam fateor, neque enim Diuus Apostolus cum Athenas venisset, conspicatus refertam simulacris vrbem, vllam aram quam illi venerarentur, euertit, sed oratione cum ignorantiam ipsorum coarguit, tum demonstrauit veritatem. At fanum euersum non restituisse extruendo, ac iugulari potius quam hoc facere voluisse Episcopum, equidem demiror, & palma dignum statuo. Idem enim mihi videtur ignem adorare, & exædificare sacrum illius locum. Hinc vero tempestas orta, perquam difficiles & sæuos fluctus commouit alumnis piæ religionis, & durauit hæc perturbatio totis annis vertentibus triginta, cum à Magis veluti procellis quibusdam ventilaretur. Hæ sunt sententiæ duorum autorum istorum de hac re, quas qui volet perpendat sane accuratius. Id omnino cauendum vbique, Ne quis turbarum in Ecclesia incircumspecte & imprudenter autor existat, & caussa afflictionis aliorum, coniecto in periculum tam sese quam alijs, & multitudine per leuitatem animi elata, cum sit inexploratum quæ cuiusque sententia tum futura, & quinam valeant atroces euentus tolerare. Illi vero ex Christianis, qui in persecutionibus aliquando, procurrentes ad iudices, vel admonendo ab impijs decretis hos auertere, vel imbecilliores

becilliores fratres ad martyrium corroborare conati fuerunt, aut seipsos indicando offerentes, dum se esse Christianos clamant: illi igitur sine dubio planum fecerunt se habere spiritum diuinum, & isto zelo virtutis in confessione fidei glorificare & magnificare Deum patrem Domini IESV CHRISTI. *Quemadmodum cum alij fideles fecere multi, tum vero ij, de quibus historia extat Eusebij, quorum tres cœtu facto prosilierunt ad præsidem, is erat Firmilianus, facientem rem diuinam, & cum clamore iusserunt ab errore desistere. At Apphianus & Aedesius cum suo indicio se obtulissent, arrepti ad supplicium, ineffabiles pertulerunt cruciatus, & confessionem morte consummauerunt, diuino nimirum spiritu & fiduciam ipsis inspirante, & præstante robur. Quemadmodum itaque Dei incitationi siue intus tantum efficaci, seu verbo illius indicatæ, non obtemperare, in eo vt æmuletur aliquis super iniquis & Dei inimicis, signum est extremæ impietatis, qualis fuit Saulis contumacia in non delendo Amalec, quod peccatum, quamuis supplex esset & clamaret ad Deum pro Saule Propheta veniam tamen adipisci non potuit: Sic in zelo pertinacia & indulgere cupiditati, & rabies quædam, horribile malum est, inseruiens iustæ iræ Dei, ad scandalum & interitum familiarum & generis totius, atque adeo ciuitatum ac regnorum.*

rum. Quapropter, cum res periculosa sit, repræhendere se quisque debet in actionibus quæ discrimen habent, & dubios euentus, ne quis anteuertendo voluntatem Dei præueniat, & currat non vocatus neque missus, quod oracula diuina nequaquam admittunt. Zelum igitur esse decet pietatis & honestatis, sicut Paulus scribens Corinthijs, Aemulamini, inquit, prophetiæ facultatem: sed simul cauere prorsus, ne qua deceptione fallamur, frustrante nos zelo boni specie, qui sit improbus & turbulentus & perditus. Et ideo definitioni vulgatæ zeli: Esse hunc excitationem animi ad honesta, respicientis exemplum, forte ad dendum sit hoc quoque: Et qui à sancto spiritu mouetur, diuinisq; *inseruit* decretis, *vt significationem zeli de quo nunc loquimur, plane descriptam aliquis habeat, & ne male audito aut intellecto eo quod præcipuum est, ipse sese & alios lædat, non vsurpans orationis libertatem tempestiue, aut nimis etiam audacter aggrediens negocia, qualis est Eusebij libro quarto historia, de Quinto quodam Phryge, & coniunctis huic alijs quibusdam, qui petulantius minusq; circumspecte prosiluerint ad iudicia, & mox territi animis atque fracti prodiderint salutem, & exemplum fuerint:* Non oportere cum audacia *talia suscipere prolabendo in periculum, & incaute.*

De sexto præcepto.

Discipulos piæ & sanæ doctrinæ etiam hoc loco oportet diligenter cognoscere præcepti explicationem, quam Christus ipse exposuit: Quod requirat hoc non modo purum & impollutum & immaculatum corpus in omni consuetudine, sed mentem etiam nolit esse inquinatam, turpesq́; cupiditates non secus atque actiones prohibeat, vbi dicit: Quisquis aspicit mulierem ad concupiscendum ipsam, iam est adulter illius in corde suo. Est autem malum hoc atrox atque magnum, & quo vehementius inuadit, morbusq́; hic exitialior est, eo minus sentire execrabilem accessionem hanc homines contingit. Itaque inter vrbana ac faceta fere ponunt dicta bella amatoria, & obscœnarum rerum narrationes, istiusmodi oratione quasi ventilantes flammas cupiditatum, & suscitantes animi libidinosas affectiones. Solent autem quamplurimi factum defendere mentione naturalis necessitatis, & quod ipse Deus omnia necessaria concedat mortalibus. Quæ plane falsa sunt. Non enim naturæ scilicet necessitatem habent ea, quæ sunt contra naturam, cuiusmodi plurimæ sunt voluptates. Disputatio etiam de necessarijs examinanda est. Nam quod antecedentem caussam prauitatis necessario sequitur, id non conceditur à Deo. In huma-

na au-

na autem natura non minima corruptela eſt cupiditatum, quam totius generis labes cauſſam habuit. Non eſt igitur verum, quod Deus affectionum neceſſitati veniam det, nosq; eis inſeruire ſinat. E contrario enim oracula diuina iubent ſemper dimicare tanquam armatos cum illis, neque ab his vnquam opprimi. Præterea ad naturæ neceſſitates, ipſe Deus legitimas conſuetudines præparauit, & benedicendo ſanctificauit, vt tales cupiditates neque naturales neque neceſſariæ ſint, ſed turpes & ſuperuacaneæ, & Deo inuiſæ & inimicæ naturæ. Nemo autem fere omnium, vt ita dicam, hominum ignorat, ab impuritate & venereis cupiditatibus partem ratione præditam corrumpi inprimis, & ideo inſanientes amoribus & luxurioſos periiſſe fere aiunt, quippe qui non penes ſe ſint præ impudentia & dementia, & ij qui deinceps recta ratione vti nequeant. Et grauiſſimæ pœnæ iſta delicta diuinitus manent, per quæ graſſatur ira Dei in filios contumaciæ, quemadmodum Paulus ſcripſit Epheſiis. Nam turpia facinora adulteriorum & ſcortationum tunc frequentari, & voluptarias affectiones intendi, & cupiditatis partem accendi, vitæq; diſſolutionem & inceſtos concubitus augeri potiſſimum obſeruatum eſt, quando impietas venerandis ſimulacris Deo reddit homines inuiſos,

K 2 *id quod*

id quod et in epistola ad Romanos à sancto Paulo dicitur. Homines enim vbi declinarint ad vitæ morem magis expertem rationis, quam mos ferarum est, neque aspicere amplius ad diuinas ordinationes neque voluntati Dei annuere possunt. Mundi enim corde beati prædicantur à CHRISTO, *eo quod Deum ipsi visuri sint. Et est hoc præclare dictum: Visionis Dei efficientem essem innocentiam. Et hoc: Innocentiam conciliare propinquitatem Dei. Hieremias autem inquit: Filij tui deseruerunt me, & iurarunt per Deos inanes, & saturarunt sese, & patrarunt adulteria, & diuerterunt ad ædes scortorum, equi furentes fœminarum libidine facti sunt, vnusquisque ad vxorem alterius hinniebat. Nunquid ad ista non respiciam? dicit Dominus, aut in gente ista anima mea non expetet iudicium? Quod autem execretur ante omnia & auersetur istud peccatum Deus, etiam hinc patet, Quod Prophetæ vbique fere de veneratione simulacrorum concionantes, translationibus in illis sermonibus vtantur adulteriorum & scortationum. Exempla vero eorum qui per impuritatem sibi pariter ac alijs autores fuere multarum & insanabilium calamitatum, historiæ omnium gentium continent, vt cum ante diluuium colendis simulacris furerent homines, & concubitus tunc nefandi excogitati vsurpatiq; fuerunt, &*

propter

propter hanc contaminationem genus humanum Deum penitus infestum habuit, & sibi ipsi extremum interitum conciliauit. Sodoma vero propter nefaria scelera, delato celitus imbre igneo conflagrarunt. In deserto autem profano iam populo propter scortationes, impacta est plaga maxima, qua qui interierunt, eorum numerus fuit viginti quatuor millia. Propter Leuitæ vero vxorem, cui per ludibrium vim intulerant Gabaitæ, percussa est tribus tota Beniamin, ab vrbe vsque ad pecus, & qui in Beniamin ceciderant, fuere numero viginti quinque millia virorum educentium romphæam. Ne dicam quanta cædes facta sit vindicantium fœditatem illam. Iam Dauidæ adulterium, quantorum malorum populo illi caussa fuit? Helenes sane raptus, malorum Iliada commouit, & ante hunc Medeæ, inq; Medeam Iasonis contumelia, caussam dedit quamplurimis barbarorum & Græcorum cædibus, & interfectioni adeo liberûm. Atque tragœdia tota atrocibus euentis turpium obscœnarumq; actionum referta est. Quinetiam in promtu esset plurimas hoc loco exponere historias, plenas miserabilium inprimis casuum, qui impuritates secuti, & qui harum autoribus inprimis exitiosi fuerunt, contenti autem erimus vna hac. Valentinianus Placidiæ filius, contumeliosa violentia corrupit vxorem Maximi. At

Maximus vlciscendo iniuriæ autorem primum insidias struxit Valentiniano, quibus hic est interfectus, deinde coniunxit sibi per vim Eudoxiam Valentiniani coniugem, filiam imperatoris Theodosij. Quæ intolerabilem rata contumeliosam illam libidinem, & perturbata dolore, nullam admittente consolationem, simul etiam pudoris tuendi, & mariti, qualiscunque sane ille erga se fuisset, cædem vlciscendi cupida, misit Gensericho, qui tum Africam tenebat, munera & bonam spem fecit, vt persuaderet ei ex Africa expedire, & Romam adducere exercitum, cui etiam cum aduenisset, vniuersam populi Romani potentiam prodidit, fuitq; tum capta Roma & inflammata, omniaq; cædibus ac rapinis euersa cum vastatione & infamia extrema. Quod aũt communis hominum cogitatio hoc malum perquam atrox atq; impium inprimis esse statuat, eo quoq; declaratur, quod luxuriosos magis quam dici possit, talium actionum pudere soleat, quodq; libidines & concubitus incesti, & abhorrentes rei Venereæ vsurpationes nomen Græcum sortitæ sint, quo odium significatur, & odiosam, communi vocabulo meretricem appellent, & odiositatem, impudiciciam. Præterea vt inenarrabile est gaudium animi casti, & iucundissima conscientia integri pudoris seu innocentiæ, sic horribiles cruciatus sunt animi impuri, lacerantes & casti-

castigantes illum grauius, quam corpus possit affligere crudelissimus carnifex aliquis. Atque secundum hæc Epictetus Philosophus optime & rectissime præcepit: Ante coniugium vnumquemque, quod ad rem Veneream attineat, purum esse debere, In coniugio vero, illam legitime participare. Quibus qui parebit bonam sibi spem ad omne huius vitæ tempus acquiret. Denique hac etiam in parte virtutum nomina vitij damnum & pestem demonstrant. Græcis enim nominibus appellant Castitatem, significantibus mentis sanitatem & conseruationem, & integritatem incorruptam. Quo omnino indicatur, in impuris & mentem ægrotam, & corpus esse labefactatum. Res autem atque possessio preciosa est vir purus, secundum Salomonem.

I.

Primum igitur violant præceptum hoc, qui alienas coniuges adulterio corrumpunt.

II.

Scortantes, & quocunque rei Venereæ atque consuetudinis illegitimo & incesto vsu polluentes corpus, quod domicilium est spiritus sancti. Sunt autem alia in hoc genere alijs nefaria & scelerata magis, vt quæ vocantur facinora in-

fanda seu muta, & consueti concubitus bruta abusio. Atenim de his ne cogitationes quidem piæ sunt, nedum locutiones Christianorum quemadmodum Paulus Ephesiis scribit: Scortatio & *omnis impuritas aut auaricia, ne nominetur quidem in vobis, quemadmodum decet sanctos. Et sicubi vspiam, hic recte tempestiue memorari id possit, quod prouerbio fertur, prohibente moueri camerinam, præstare enim vt maneat immota.*

III.

Qui rerum carnalium & voluptariarum cogitationibus libenter locum relinquunt, & vacant turpibus dictis, vnde & ipsi voluptatem capiant & alij hæc audientes, prohibente sancto Paulo, vbi non sinit in studio esse Christianis obscœnitatem, & stultiloquentiam, & scurrilitatem, quæ abhorrentia & aliena sint. Non est etiam hoc obscurum indicium corruptarum in homine cogitationum, quod nihil fere vrbanum aut bellum videtur omnium, si non sententiam quampiam libidinosam & affectiones titillantem, fœdamq; & petulantem, &, vt semel dicam, voluptatis incitationem contineat, cuiusmodi versus sunt Elegiarum & aliorum Epigrammatum, qui præcipuam habent admirationem, & ex fabulis illæ quæ maxime laudan-

laudantur. Quibus, quod bene factum est, cladem attulit plurimis, siue tempus, seu piorum bona & prudens consideratio, neque siuit istam occasionem libidinum accedere ad præsentem mollem & dissolutam, mundi effœti senecta, ætatem. Extant tamen passim quasi frusta quædam generis istius, impudicæ & impiæ stultiloquentiæ, quæ penitus auersari debemus, occludentes ambas aures ad talia ridicula, ita & quisque illinat ceram virtutis & castitatis, seu temperantiæ & sobrietatis, quemadmodum decet seruos & subditos Christi, quos oportet audire & disserere quæcunque pia sunt & bene placent Deo, si qua admonitio, si qua doctrina, psalmis sibi loquentes & hymnis & cantibus spiritualibus, canentes & psallentes in corde Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini IESV CHRISTI, *Deo patri, & docentes atque instruentes sese psalmis & hymnis & cantibus spiritualibus in gratia canentes in corde Domino: Et quicquid faciant dicto atq; facto, omnia in nomine Domini* IESV, *gratias agentes Deo & patri per ipsum, sicut præcepit sanctus Paulus, scribens Ephesiis & Colossensibus.*

IIII.

Repellitur hoc præcepto, quicquid siue ab ho-

minibus seu ex rebus illecebras habet libidinis & impuritatis. Qualis est omnium lenonum natio, & inuitatio nimij ornatus atque fucorum. Itemq; desidiæ, & ocium atq; deliciæ vitæ. Nec non suauitatis & deliciarum oblectationes. Quibus vniuersis tanquam castra muniuntur carnalibus cupiditatibus, in quibus stationem habeant in expeditione militari contra animam, vt ait sanctus Petrus. Iis denique veluti materia præparatur, qua accendatur quam celerrime desiderij sæua flamma, & ignis cladem afferens castitati & temperantiæ, qua nulla res aut possessio, ijs qui sapiunt, esse possit preciosior. Præclare enim hoc, nescio a quo dictum est: Quod castitas seu temperantia penus sit hominibus virtutis. Maxime autem corrumpunt illam potus & commessationes,

Vino remoto enim remota esset Venus:

Dixit quispiam veterum. Neque quicquam æque procaces facere homines natura sua solet atque vinum. Quemadmodum & hoc veterum quidam dixit: Esse vinum quod hominibus solum producat audaciam, vt bonum consilium præuertatur. Atque tremendam horribilemque Oedipodiam de ebrietate Tragici deducunt. Qui dixit autem: Ebrietatem esse malorum principem ciuitatem, is nimirum breuiter omnia complexus, pronunciauit quantum esset damni

damni in hac actione. Sanctus vero Paulus vetuit uino ebrios fieri, in quo sit luxuria, & diserte à regno Dei repellit ebriosos, numerans inter impuros & obscœnos. Ait et Ezechiel Propheta: Hoc scelus Sodomorum, Superbia in panis repletione, & abundantia vini lasciuiebant. Et Osea populum obiurgat quod deseruerint DOMINVM *assidendo scortationi & vino & ebrietati. Vsu venit autem quam sæpissime, vt voraces & ebriosi istam voluptatem mortiferam sibi & aliis concilient, caussamq; dent exitus miserabilis. Atque narratur apud nos: Quod duo quidam nostrorum ex nobilitate* Teutonica, *plusculum temporis apud* Belgas *morati, didicerint potum copiosum, & dimicare atque contendere de educenda copia vini atque cereuisiæ. Hi aliquando reuersi domum, docuerunt cognatos & populares vsum studij huius, & ita malum totam regionem progrediendo occupauit, antea sinceram illam & isto morbo liberam, eaque res celeberrimæ virtuti* Teutonum, *qui Superiores vocantur, non minus quam vllum aliud vitiorum omnium turpissimam maculam inussit. Autores autem flagitij istius, & viui in odio bonorum fuisse, & infelice vitæ fine interijsse morte violenta perhibentur. Præcipit autem & Christus ipse suis,*

vt cautionem adhibeant, ne grauentur corda ipsorum crapula & ebrietate, ne subito assit dies exitiosa. Et Salomon inquit: Cuinam væ? Cui tumultus? cui iudicia? cui molestiæ & nugæ? cui contritiones inanes? cuiusnam liuidi sunt oculi? Nunquid eorum qui in vino commorantur? Nunquid vestigantium vbi potus sint? Ne fiatis ebrij vino, sed versamini cum hominibus iustis. Hæc præceptio bona est, & ad beluinum præsentis vitæ morem necessaria. Cum præsertim iam hoc studium exercentes, facinore glorientur. Quod cum per se deterrimum, tum signum est appropinquantis & impendentis diuinæ vindictæ. Et Esaias prædicens propinquam esse animaduersionem iræ diuinæ, in maximis caussis hoc ponit: Quod delinquentes peccatum suum tanquam Sodomorum prædicarent & ostentarent. Tempus igitur fuerit resipiscere tandem nos, & suscitari de tali vecordia, dum adhuc locus relinquitur pœnitentiæ, vt in fide cum temperantia & continentia, & sanctitate certamen peragentes vitæ huius, hæredes constituamur vitæ æternæ, cum pijs & Deo placentibus omnibus.

V.

Violant legem hac parte non minime & ij, qui coniugij copulationibus quocunque modo impedimento

pedimento sunt. Præcipue qui leges de his ferunt, aut quocunque pacto viam aperiunt pertinentibus ad impuritatem. Hic est enim vnus ex iis laqueis, qui miseris animis iniiciuntur, quo alligati correptiq; anguntur & abstrahuntur vi ab honestate & assiduitate Domini indiuulse. Horribilis enim perturbatio cogitationis, & quo minus se ipso aliquis recte vtatur, semper fere sequitur transgressionem eorum quæ de castitate legibus sancita sunt. Et ideo Apostolica & sana doctrina hanc rem edictis non comprehendi voluit, ne cui necessitas imponeretur vlla, sed vt vnusquisque liberam haberet potestatem arbitrij sui in consideratione quid sibi expediret. Sic quidem, vt qui non continent, omnino coniuges iubeantur fieri. Coniuges enim fieri satius est, quam ardere igne. Hanc sanæ doctrinæ partem fideliter seruarunt, & proxime Apostolos secuti gubernatores Ecclesiarum. Itaque Ignatius ait (quemadmodum sententiosa dicta colligens Antonius quidam retulit) Si quis in castitate permanere potest ad honorem carnis Domini, is maneat sine iactatione, quod si celebrior sit quam Episcopus, iam est corruptus. Et rursum, Virginitatis iugum ne cui imponas, periculosum enim hoc bonum est & difficilis custodiæ quando necessitatem habet. Iunioribus potestatem facito contrahendi matrimonium, priusquam scortis

corrum-

corrumpantur. Et Eusebius ex Clemente propugnante pro coniugij copulatione, hæc exposuit: Nunquid & Apostolos improbant? Petrus enim & Philippus liberos susceperunt, Philippus etiam filias nuptum elocauit. Atque ipse Paulus non veretur in quadam epistola suam compellare coniugem, quam non habuit comitem circumducendo, vt esset ministerium expeditius. Atque Pamphili discipulus hactenus Clementis verba descripsit. Posteriores vero castitatem extra coniugium paulatim constituerunt, cum laudando immodice virginitatem, tum ad formam cultus diuini redigendo promissiones & consecrationes illius. Cum interea hoc ipsos fugerit, ita confirmari *decretum coniugium faciens profanum, Sancto Paulo plane affirmante, Quod desciscant à fide prohibentes nuptiarum coniunctionem. Prohibitio autem fuerit non modo interdictum legis, sed omnia etiam quæ ad hoc periculum alliciunt, qualis est et cultus & præmiorum ostentatio, & quæcunque alia ad speciem pietatis haud germanam figurata sunt, habentia prauam imitationem magis quam religionem, quibus inescantur imprudentiores, & superstitiosiores, & animæ minus stabiles hominum, aut quibus verbum Dei quæstus sit cauponæ. Nam si cui datum est, vt regni Dei gratia sese castret, habet hoc laudem verbi Dei, qui autem accumulant*

præci-

præcipua quædam præmia, & ingentes mercedes & eximias coronas, huic per se ipsam obseruationi atque virtuti, ij sane loquuntur ex suis. Non quod continentia non sit res pulcerrima & decentissima, Deoq; adeo gratissima, sed quia non oportet ita hanc laudare, vt transgrediatur aliquis & orationis mensuram & rei ipsius naturam. Perinde ac si quis oculos in facie humana, quo appareret maior pulcritudo, aureo aut purpureo colore illinere vellet. Non enim oportet secundum Platonem ita pulcros oculos pingere, vt iam ne oculi quidem esse videantur. Sane continentiæ istius quam nimis vrserunt, constitutio *&* magniloquentiæ de solitaria *castitate, omnia fere obscœnis atque fœdis facinoribus compleuerunt. Ac quidam ad coniugij dedecus ait: Paulus quidem dixit, satius esse coniuges fieri quam ardere igne, Tu vero, inquit, remoueto illud ardere, & iam coniugem fieri bonum non erit. Atque hæc ille quidem siue volens per simulationem, seu per ignorantiam prodigiose protulit. Est autem tale, vt si quis dicenti: Satius esse potione medicamenti vti, quam morbo interire, ita respondeat: At tu bone vir si impedimentum morbi remoueris, iam non opus tibi medicamento vllo futurum est. Verum enim est quod dicitur, sed nugatorium. Nam medicamenti vsus ad sanitatem,*

& vt

& vt ægrotus curetur, solus est collatus scilicet diuinitus. Alius quispiam asserere volens, quod se continere per totam vitam in promtu sit, ita est argumentatus. Potest aliquis abstinere tali consuetudine die vno, duobus, tribus, decem, poterit ergo pluribus quoque. Quod si pluribus, nimirum & per totam vitam. Quod plane est ridiculum, & tale ac si quis dicat, posse aliquem non gustando cibum ad tempus vitam producere, & inferat, ita scilicet & totum tempus vitæ sine cibo traduxerit. Sed de his satis. Nam hæc res longiorem disputationem requirit quam pro Catecheseos modo, & satis esse poterunt ea quæ dicta sunt, ad commonefactionem, pie in CHRISTO, & incorrupte hanc terrenam vitam degere consulto volentium, quicunque hi & in quocunque genere vitæ sint. Scriptum est enim in epistola ad Hebræos generaliter, Honorabile coniugium in omnibus.

VI.

Valde peccant contra hoc præceptum & ij qui custodes esse debent honestæ educationis & disciplinæ legitimæ, si negligant ea quæ dissolute fiunt, per victus ac cultus grauis atque decentis peruersionem, dum sinunt corroborari petulantiam, & succrescente libidinum licentia, & leuitate flagitiorum iam amittente opinionem absurditatis.

tatis. Hoc sane peccatum graue est, grauius tamen si exemplum quoque noceat offendens alios. Loquor autem præcipue de regibus & principibus, atque adeo de quibuscunque magistratibus, patribus, dominis, præceptoribus, præsidibus, episcopis, presbyteris. Consueuere enim propemodum semper aliorum potestati subiecti, similes esse ijs qui præsunt. Ut mores subditorum in vtramq; partem maxime concilientur præsidibus. Qui quidem ipsi pœnas delicti omnino persoluturi sunt, siue non puniant transgressiones, seu etiam hæ ipsis placeant, & eorum exemplo constituantur consentientum actoribus.

De septimo præcepto.

Mira est ordinationum consequentia. Quemadmodum enim iam vis & iniuria prohibita est, ne quis lædere vitiareue audeat corpora, pertinentia ad communitatem humanam: ita nunc lex tutas præstat res necessarias ad vitam degendam omnes, arcens tam manus quam cupiditatem (de qua accuratius proprio capite legis scriptor disseruit) ab ijs quæ sunt aliorum, & iubens simul necessaria parare vnumquemque, & proprijs facultatibus vti liberaliter, & nemini iniuriam facere omnium. Hæc igitur nunc

quoque explananda fuerint, & vestiganda significatio furti. Est igitur furtum, quæcunque alienorum contrectatio, cum dolo & fraude, proposito improbo, contra voluntatem dominorum, siue manibus ea attingantur, seu saltem cupiditate appræhendantur, seu quocunque modo rapiente aliquo ad se ea quæ sunt alterius. Peccata igitur committuntur contra hoc præceptum, & furtorum, & rapinarum, & damnorum, & iniuriarum, & quæcunque fiunt ac struuntur arte, per insidias aut vim, ad malum cæterorum, vt vndecunque lucrum iniustum aliquis faciat, & fraudentur alij suis facultatibus priuati. Quemadmodum enim nulla ratione aliquem alterius damno ditescere conuenit, ita par est, vt sua cuique conseruentur salua atque integra. Atque hæc est diuinæ, & natura insitæ legis constitutio. Varietatem autem actionum exquirant illi, quibus vacat in iudicijs sursum deorsum vagari, & humanis considerationibus negocia disponere. Quibus ipsis concedatur, vt dicant: Si quis tantum consilium dederit, & volentem furari cohortatus sit, non teneri hunc furti actione, quamuis diserte etiam humana lex pronunciet, Eum quoque teneri ista actione, cuius ope consilioq; delictum fuit. At illi istud ope consilioq; coniungentes inseparabiliter, ipsum per se con-

se consilium non faciunt obnoxium iudicio. Quos haud quidem nos sequemur, qui scimus, quod, vt sine improbo proposito seu praua affectione peccatum furti non committitur, sic solum etiam tale propositum seu affectio istiusmodi obnoxios faciat iudicio diuino eos in quibus inest, quamuis factum non aggrediantur. Nam lucra singularis improbitatis non modo accipiendo, sed cogitando quoque nocent & damna dant, quemadmodum quidam etiam Tragicus dixit. Relinquentes igitur consultos in iudicijs occupatos, & promiscuæ turbæ crimina (id quod non solum fieri conuenit, sed necesse etiam est) explicantes, videamus nos quid diuinus & verus sermo constituat de furtiuis. Atque repetemus sane definitionem, quæque illa compræhenduntur accuratius inspiciemus, sic enim sperandum maxime perspicuam rem fore. Diximus igitur quod furtum intelligatur, omnis alienorum contrectatio. Sunt autem aliena quorumcunque domini sunt alij & non nos: pecuniæ, facultates, dignitas, & vt simul dicamus, quæcunque tandem in alicuius potestate sunt. Hæc cuncta inquit Lex: Ne quis attingito animo fraudulento & per insidias, & voluntate lucri iniusti ad alterum. Ista est enim, quæ memoratur, fraus & propositum malum

 seu

seu praua affectio, cum contra sententiam possidentis & inuito Domino attinguntur aut contrectantur aliena. Damnatur autem hoc loco *non modo iniusta manuum iniectio, sed cogitationis etiam insidiæ. Nam apud Deum non est discrimen non manifesti & manifesti furti, & si qua alia ad ciuilem necessitatem exquiruntur & ordinantur ab hominibus. Iste vero legis scriptor is est, qui iudicat occulta cordis & examinat renes. Nemo igitur innocens est, qui sibi vendicat id quod alterius est, siue auferat, seu tantummodo concupiscat, quiq; se potius habere istud fruentem vult, quam illum. Vult enim lex, vnumquemq; tenere sua, & ijs vti placide & secure. Quod fieri nequeat siue subtrahant seu insidientur & oculos inijciant alij. Quia autem patet, legem prospicere vitæ quæ inter ciues pacifice degatur, concluditur omnino & hoc: Omnes in copia & diuitijs & abundantia bonorum qualiumcunque viuentes, debere alijs suppeditare de suis, & prodesse beneq; facere aliqua re indigentibus. Itaque negligens huius studij, & subtrahere & rapere statuetur ea quæ sunt aliorum, qui, quantum in ipso est, egent victu & necessariorum inopia grauantur, & fame frigoreq; & laboribus conflictantur. Si qui vero diuitijs, & quibuscunq; alijs memorabilibus & preciosis vulgus superant, delicias facientes in fortunæ fertilitate, au-*

deant

deant abuti ad voluptates, & delectationes vitæ, nihil curantes aliorum penuriam & egestatem, ij cognoscant Euangelicam parabolam indicantem fore vt tales in breuis temporis prosperitate, per dementiam & inutiliter fruentes voluptatibus, subito mox arripiantur & vna cum misera vita spoliati omni delectatione, et detracto fastu caducæ lætitiæ, nudi conijciantur in Gehennam, puniendi in tormentis & cruciatibus ignis æterni. Regula igitur est certa: Tam animum quam manus ab alienis abstinendas esse, semper & modis omnibus: & bene faciendum cunctis pro viribus, primum quidem vt suæ familiæ recte quiq; præsint & naturæ cœtum amplectantur. Alij enim alijs sunt nobis propinquiores. Neque lex tollit quasi gradus humanæ societatis, ac potius hos firmans postulat vt accurate seruetur veritas eius, quod iustum vbique est & honestum. Itaque decætero quibusdam incidentia dubia dijudicare, non fuerit difficile, si qui sententiam spiritualiter ferant, neq; animales de his cogitationes sequantur. Cum præsertim huc Christi generale præceptum pertineat, quod iubet: Vt omnia quæ velimus nobis facere homines, sic & nos faciamus ipsis, apud Matthæum 7. & Lucam 6. Magis enim certe debeamus non etiam facere alijs quæ perpeti ipsi nollemus. Est autem malum inuictum quoddam, quod ob-

stat hoc loco veritati & pietati religionis, is qui vocatur Amor sui, & comes huius diffidentia. Cum enim ita vniuersi homines affecti sint, vt se quisque magis amet quam alterum, sequitur hanc affectionem, & cura de rebus necessarijs ad victum & cultum, & inuidia ad eos qui aliquid habent, & plus acquirendi semper studium. Res enim est cupiditas, quæ expleri nequit. Hinc iam insidiæ & rapinæ & furta, & latrocinia & auariciæ variæ in hac vita existere consueuere, diffidentibus hominibus Dei promissionibus, neque conijcientibus in Dominum curas suas, vt enutriantur ab ipso. Atque hic fons est iniusticiæ & iniquitatis inter homines. Radix enim malorum omnium Auaricia, quam quidam appetentes aberrauerunt à fide, seque ipsos confixerunt multis cruciatibus, inquit Sanctus Paulus. Qui idem plane auaros seu lucri cupidos excludit regni hæreditate, & per lucri cupiditatem omnem impuritatis turpitudinem patrari pronunciat, scribens Ephesiis. Eandemq; Idololatriæ, quæ est simulacrorum veneratio, nomine notat. Et in Apocalypsi in extrema iniquitate & furta numerantur. In Zachariæ autem scriptis dicitur: Quod omnibus furibus vsque ad mortem vindicta impendeat diuinitus. In Oseæ scriptis, numeratur furtum inter caus-

sas

ſas propter quas futurum ſit, vt terra lugeat cum omnibus illam incolentibus. Quid vero Salomon in prouerbÿs? Ab aqua, inquit aliena abſtineto, & ex fonte alieno ne bibas, vt longo viuas tempore. Et rurſum: Qui cum fure participat is odit animam ſuam. Eſt autem præclariſſima lex priſca Græcorum, quam qui tulit, ſic pronunciauit: Quod non repoſuiſti, ne auferto. Conſonat huic & Teutonicum dictum: Quod tuum non eſt, ne tollito. Atque omnes ſane qui ſtuduerunt tradendis præceptis & admonitionibus, quamplurimas ſententias expoſuerunt contra auariciam ſeu lucri cupiditatem. Reſonantibus nimirum his quoque *inſitam animi bonitatem, & refutantibus improbitatem.* Dixerunt itaque: *Abſtinere omnes ab alienis debere, reprimentes ſimul & manus & oculos & aures: Auariciam autem ſeu lucri cupiditatem malum eſſe maximum demonſtrarunt.* Rapinam *vero mortis eſſe largitricem Aſcræus poëta dixit.* Euripides *autem alicubi dixit: Deum odiſſe violentiam, & relinquendas iniuſtas diuitias.*

Celum omnibus commune enim eſt mortalibus
Solumq;, vbi domos frequentari decet,
Neque occupari aliena, nec vi diripi.

At Pindarus neque vendicationes alienorum impunitas esse, neque iniusta lucra fortunari dixit, his carminibus: Sunt quidem mortalium animi propensiores ad lucrum fraudulentum probandum potius quam ius, sensim tamen procedentium ad asperam posterioris diei seriem. Propositis autem tam apud Deum quam homines grauissimis supplicijs isti peccato, nihilominus quamplurimi in hac vita isto delicto implicantur, quibus posteriora sunt diuina & humana quæstibus atque lucro. Cuius non minima ex parte rei caussa est: Quod ad futura cæca sit mens, secundum eundem Pindarum, id est, quia nihil aliud quam quod præsens est, *aspicitur, neque vlla suscipitur futuri consideratio. Nam qui, vt ait Rhetor, lucri cupiditate aggrediuntur ea quæ non oportet, eorum vnusquisque non consueuit rationem inire de difficilimis, sed quid perficiendo actiones executurus sit. Atque apud veteres grauissimæ pœnæ furto propositæ fuerunt. Nam & apud Romanos capitale supplicium prius fuit, quam dupli & quadrupli persolutio admitteretur. At Locrenses effodiebant oculos damnatorum furti. Et apud Teutones laqueus de sublimi iugo maleficium contumeliose punit. Apud omnes autē fere mortales omnium maximam & extremam infamiam infert furti peccatum ijs qui eo tenentur. Neque*

vllis

vllis alijs minus in probro furaces & lucri cupidi homines & sunt & fuerunt fere semper. Veruntamen & hoc manet verum, Modicum auferentes fures correptos puniri, at qui peculatores appellantur, totos populos compilantes, & qui ingentia lucra faciunt, non modo pœnas non sufferunt sed in honore etiam sunt, & impensa parte furtorum, non solum sibi securitatem facile comparant, sed acquirunt etiam dignitatem. Denique prouerbij figura hoc iam olim dictum est:

Dans pauca plurimorum fur absoluitur.

Fertur etiam Athenis quendam cernentem ad supplicium furem duci, dixisse: O miser, quare ergo parum furatus es, et non multum? vt tu alios ipse ad supplicium duceres. Vsque adeo omnes fere propendent ad quæstum, & lucro seruiunt, & pecunia vincuntur. Nobis autem ante oculos sit Dei voluntas, & hunc timentes, fretiq; benignitate ipsius, conemur obœdire præcepto, & petamus auxilium de celo precantes Deum, & expectantes ab eo res necessarias, secundum promissionem ipsius: fore vt quærenrentibus regnum Dei & iusticiam eius, hæc omnia adijciantur: Sic quidem vt nihilominus, quemadmodum ipse præcepit, operis aliquid faciamus, & tam nobis quam nostris, copiam sufficientem paremus ad nutrimentum, & alias

vitæ degendæ partes, & de facultatibus nostris cum misericordia benefici simus, consulentes bonis nostris quoad conceditur egentibus auxilio & benefactis. Atque hoc modo per obœdientiam, & in fide perfici poterit præceptum, & nostrum opus fuerit cultus bene placens Deo, & vnum ex sacrificijs præditis ratione, quæ sacrificare operatos sacris Christianos par est, in ecclesiastica communitate, semper abundantes operibus bonis, & omni genere virtutum.

PVERI.

Hæc quidem pie abs te pronunciata, sic nos audiuimus, vt memoriam illorum nobis elabi passuri simus nunquam, dicito insuper vero, ô præceptor, curnam Auariciam & lucri cupiditatem solam simulacrorum cultus nomine infamauerit Apostolus Paulus? cum sint aliæ quoq; non minus improbæ in hac vita actiones hominum desipientum in peccatis.

CATECHETA.

Vos quidem ô pueri, hac interrogatione laudabilis cognitionis studium declaratis, Ego vero breuiter tradam adiectiui istius de quo quæritis caussam. Quicunq; enim est lucri cupidus necessario dis-

rio diffidens, seu incredulus etiam est, neque fretus diuinis promissionibus, neque ratiocinatur se curæ esse Deo, & vult ipse præsidere sibi, in desperatione à diuina beneficentia. Præterea talis ipsi lucro diuinitatem tribuit, quasi habeat salutis hoc potestatem, pecunijsq; prorsus intentus, & his cuncta postponens, quæ ambo perspicue fuerint simulacrorum cultus & nominari debeant. Esto. Atque nunc deinde differamus de formis quoque, quotnam numerare aliquis peccati huius posse videatur.

I.

Primum igitur prohibetur hic id quod proprie *furtum* appellatur, id est, *Subtractio alienorum clanculum fraude irrepente & instar vulpeculæ lædente alios.*

II.

Violentia & rapinæ & spoliationes, & manifestæ ereptiones cuiuscunque modi alienorum. Talia sunt onera quæ à potentibus & principibus imponuntur clientibus & subditis, exactionum & tributorum & vectigalium, facultatumq; detrimenta atque alienationes siue fraudulentæ seu violentæ.

III. Om-

III.

Omnes quæstus immodici & iniusti. Et deceptiones atque fallaciæ in contrahendis negocijs. Neque vere dicitur à quibusdam consultis, Licere vendentibus & ementibus occultando verum, sese mutuo circumscribere. Non enim his licet, siquidem Christiani sunt, cum horum verba debeant esse, Ita ita, & Non non.

IIII.

Omnes imposturæ & fuci in mercimonijs, itemq; adulterationes, & precij iniquitas, & duplex pondus, & mensuræ duplices, & trutina fraudulenta, secundum Salomonem. Et, vt semel dicam, Turpitudo lucri vniuersa.

V.

Suarum facultatum negligentia & inertia vitæ desidis atque ociosæ, quæ semper virtuti officit. Similiter & deliciæ & sumtus qui impenduntur luxuriæ & voluptatibus, & precioso victui ac cultui.

VI.

Sordes & parsimonia in beneficijs misericordiæ, & dando, vbi liberalitas requiritur. Nihilo tamen

tamen minus & mendicandi impudentia, & consuetudo mutuandi. Qui enim perfricta fronte mutuo sumunt vndecunque possunt accipere, ij prorsus occasione data, et furaturi, & rapturi per vim bona aliorum videntur. Deq; mutuando, præclara est prohibitio hæc: Habes, ne sumas mutuo, non enim es inops. Non habes, ne sumas mutuo, non enim persolues. Omnes autem debitores aut miseri sunt in curis & angoribus reddendi, aut impudentes & malefici, fraudandi voluntate. Sed inopiæ, si laboriosa sit, hic venia danda est. Quemadmodum & Plato in suis legibus, tunc potestatem facit alienæ aquæ communem vsum, si qui apud sese effossa terra ad argillam vsque, inuenerint sterilem esse locum aquæ viuæ. Non enim æquum est prius ab aliquo participari aliena, quam per laborem quocunque opere legitimo exercitatus, nihil potuerit acquirere suum ac proprium. Nam qui operis nihil faciant, eos ne comedere quidem vult sanctus Paulus.

VII.

Omnia damna & noxiæ quæcunque, siue consulto inferantur, seu incuria & leuitate & negligentia officij, & despectis ijs qui ope indigent.

DE SACRILEGIIS.

Cvm dictum autem sit quod profanarum facultatum (cuiusmodi sunt humanæ cunctæ) ablationes legem violent, multo scilicet magis atrox esse sacrilegij peccatum statuendum est. Sunt autem sacrilegia manifesta, si quis sibi vendicet Deo consecrata, siue furetur seu rapiat. Quæ grauissimam pœnam mereri omnes homines & nunc statuunt, & semper statuerunt. Etsi in paucis non dico gentibus ac ciuitatibus, sed hominibus religiosa pietas fuit, tam veneratione exquisita quam veritate cognitionis. Ita iam natura insitum fuerit, statuere: Quod venerabile & sanctum esse debeat numen diuinum & dedicata huic cuncta. Maior sane Dionysius qui per impuram petulantiam & simulationem spoliaret fana, solus fere ipse impietatis pœnam non persoluit. Veruntamen iusta vindicta eueſtigio secuta, filiumq; & genus ipsius totum corripuit & contriuit. Cæteri omnes, vt sic dicam, ipsi suo corio pœnas dederunt sacrilegiorum. Extat autem historia de puero quodam valde paruulo, qui, cum aliquando in templo delapsam laminam auream de simulacro sustulisset, re comperta ductus fuerit ad Iudices. At hi talos vna cum lamina ante eum

propo-

propoſuerunt, cumque rurſum ad aurum ſacrum ille deferretur, condemnatum interemerunt tanquam ſacrilegum, non data venia ætati, ſed punientes eum propter illud factum. Vſque adeo vehemens & ardens affectio fuit de rebus diuinis, in ijs quoque, qui ignorarent veritatem de Deo. Hæc igitur ſine controuerſia maxima eſt impietas, & vltimis ſupplicijs iure afficienda. Eſt autem & aliud ſacrilegij genus, minus illius quidem manifeſti, pariter tamen inuiſi Deo & execrandi: Eccleſiis deſtinatæ rei familiaris detractio, ſiue aliqui iam collata eripiant & ſubtrahant copiam, & tantum non fame enecent miniſtros Eccleſiæ, ſeu non omni ſtudio ac cura proſpiciant (qui nimirum hoc facere debent) curantibus in eccleſia, eoſq; ſibi cordi eſſe ſinant, & videant ne victus illis deſit, vt degere poſſint vitam expertem ſolicitudinum, & rerum neceſſariarum compotem, ſoli eccleſiaſticæ rei atq; negocijs vacantes, neu de extraneis laborare & cogitare cogantur. Hoc genus occulte vt cancer corpus, ſic depaſcens corrumpit in eccleſia cultum diuinum & honeſtatem atque bonitatem, & paulatim cuncta ſententijs profanis & impijs actionibus complet, & inprimis diuinum reſpectum & vindictam prouocat. Quare hac in parte vnuſquiſque, cui ſua ſalus curæ eſt,

ræ eſt, cauebit, ne vel manus vel cogitationem contaminet ſcelerata hac audacia, neu, contra ſacræ ſcripturæ prohibitionem, tangat chriſtos domini, & improbitatem exerceat in Prophetis ipſius. Sed de his iam ſatis, vt in hac quidem diſputatione.

DE ELEEMOSYNA.

De Eleemoſyna (*quæ eſt in miſericordia affectio* benignitatis) *nunc etiam docendum* hoc loco: *Eſſe huius opus maxime gratum* Deo, *& in ſacris ſcripturis laudabile. Vbi modo be*nigne miſericordibus miſericordiæ ipſius pro*miſſio applicatur, modo dantibus* eleemoſynam *omnia munda eſſe demonſtrantur. At Daniel conſilium dat Aſſyriorum regi, redimere peccata Eleemoſynis, & iniquitates miſerando pauperes.* Non quod opus *ipſum per ſe delere poſſit peccata, ſed quod reſipiſcentium, & eorum maxime quos violentiæ & iniuriæ pœnitet, hic ſit pulcerrimus pœnitentiæ fructus, & propriiſſimus rei ipſi. Apud Salomonem vero, largi & qui de ſuis facultatibus non parce ſubleuant egenos, liberantur omni metu, ne quando inopia laborent neceſſariorum. Non enim fame enecabit Dominus, inquit, animam iuſtorum. Et,* Cuius *viſcera miſericordia commouentur ei miſericordia*

sericordia commouentur, ei misericordia continget. Et, Hominem hilarem atque largitorem diligit Deus, id quod sanctus Paulus excerpsit. Et rursum: Qui dederit mendicis non egebit. Et: Ne desinas benefacere egenti. Contra immisericordes vero prolatæ graues interminationes in scripturis vbiq; extant. Vt hoc: Qui auersatur mendicum in magna inopia erit. Et, Ne repellas pauperem, mendicus enim est. Et, Ne dedecore afficias imbecillum in portis, Dominus enim iudicabit iudicium illius, & liberabit animam ipsius. Et, Qui obturat aures suas, ne audiat imbecillum, is & ipse inuocabit neque erit qui audiat. Vnde manifestum & hoc sit, imbecillis seu infirmis, & quibus præ alijs auxilio opus est, non conferre beneficia, vel hos etiam affligere, multo iniquius & magis inuisum Deo esse. Et idem Salomon inquit: In facultates pupillorum ne inuadas, nam eos liberans Dominus est fortis, & ille caussam horum dijudicabit aduersum te. Et Ezechiel in grauissimis delictis numerat, pupilli & viduæ per potentiam oppressionem. Lex autem ait: Proselytum id est aduenam non affligetis neque premetis eum. Eratis enim aduenæ in Aegypto. Nullam viduam & nullum pupillum affligetis, quod si affligendo afflixeritis illos, hi vociferando inclamauerint ad me, audiendo exaudiam vocem ipsorum &

irascar animo commoto, & interficiam vos gladio. Et erunt vestræ vxores viduæ & liberi vestri pupilli.

DE EO, AN PIVM SIT PARARE Christianos & possidere proprias facultates.

Ex ijs quæ dicta sunt, in promtu fuerit etiam hoc quærendo concludere: Quod non prohibitum modo sit vspiam, sed mandatum potius Christianis, vt possideant facultates & bona & pecunias. Ait itaque Salomon: Fili bibe aquas ex tuis vasis, & de tuis puteis. Effluendo abundent aquæ de fontibus tuis, inq; plateas tuas dimanent aquæ tuæ. Sint illæ penes te tantum, neque eas participet alienus quisquam, fons aquæ tuæ sit tuus proprius. Quo pacto vero dederit aliquis alteri per eleemosynæ opus (id quod diserte præcipitur hominibus pijs in sacris scripturis) si nemo quicquam suum ac proprium habeat. Cur vero potius mendicet aliquis, quam impertiat quæsita indigenti? Semper enim, inquit Dominus, Mendicos habetis apud vos. Quapropter inopiam, inter ea quæ existimantur fugienda & mala, recte aliquis posuerit, vt huic opus sit virtute Christiana, si quibus accidit, quo præsentiore

animo & fortius necessariam hi fortunam tolerare possint, quemadmodum & morbos & alia infortunia. De eo autem quod scriptum est: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, & hoc: Si vis esse perfectus abi, vendito quæ penes te sunt omnia, & da mendicis, & habebis thesaurum in celo, & huc ades ac sequere me, & si quid his simile: nunc quidem pluribus differere haud opportunum, tanquam vero prætereuntibus sciendum: Quod illam rem ita tum factam esse ad eximium modum, putandum sit, & quod certæ formæ cuiusdam sententiam habeat dictum illud, & distincte loquatur de peculiari quadam vocatione, & non sit præceptum generalium obseruationum. Atque tales vocationes singilatim admittunt quidem amantes Deum obœdiendo directe, quemadmodum & Abraham iussus mactare filium, non tamen etiam aliquos autoritate de his & veluti sponte sua, proprij sensus & iudicij cultum voluntarium instituere licet. In qua parte cum alij quidam ex sanctis patribus, tum Basilius aliquantulum à recto itinere aberrasse videri alicui possit. Nudationes facultatum, & fugam ciuilis conuictus atq; societatis, et discessiones à consuetudine hominum, & leges latas de quibusdam nouis solitariæ vitæ rationibus, ornatas speciosissimis nominibus,

M 2 à Do-

à Domino mandatæ renunciationis mundanæ, & mortificationis carnalis, & baiulationis crucis, in Euangelicam perfectionem implicans, in spe absolutæ curarum vacuitatis, atq; adeo indolentiæ, & omnium perturbationum carentiæ, in non iam humana sed angelica vita. Quibus formosissimorum nominum cogitationibus secundum rationem, non minime & hic vir, nulli suis temporibus in Ecclesia virtute & sapientia secundus, itemq; ante eum alij quidam decepti videntur, & magistri introductoresq; fuisse (haud sane hoc volentes aut animo concipientes) præstigiarum illarum, quæ impiæ maxime & idololatricæ, non diu post cumulatæ fuerunt laruis monachicis, corruptæ ac labefactatæ rectæ sententiæ. Verum enim dicendum est, quamuis mordeat aliquem ex ijs, qui pinnulis, vt dicitur, aures scalpunt. Verum de his alibi dicetur forte opportunius, requirente tractatione ista peculiarem expositionem. Quamuis enim esset Euangelicum istud secessionum institutum, nunc tamen certe perspicuum est, scenam quandam mirabilem hanc Ecclesiæ inductam esse, innumerabilium cultuum multiformem excogitationem. Quærendum autem est in omnibus rectum, neq; tenendum quicquam nisi quod veritatis sermo euicerit.

DE REBVS CONTRAHENDIS & disceptationibus & restitutione.

Præterea quærendo ex his concludere aliquis possit. Oportere alijs iniuste erepta & spoliando ablata restituere. Dicit enim sanctus Paulus, Furans ne furator amplius. Furtum autem dicebatur esse contrectatio alieni. Quatenus igitur detinetur res furtiua, eatenus furti peccatum durare statuendum est. Relinqui tamen in his & æquitati locus, & transgressioni alicubi venia dari possit, vt in paruulis lucris ingens probrum habituris, si detegantur. Sed cum in his tum alijs omnibus dijudicatio spiritualibus in promtu fuerit, neque in legum laqueos implicandæ sunt conscientiæ simpliciores. Ac quæ incidunt hac in parte alia, omittantur & tradantur ociosis ad curiosius exquirendum. Vt: Liceat ne Christianis disceptare in iudicijs? Deq; contrahendis rebus, & de quæstibus & fœnoribus, & si quid huiusmodi aliud est. Omnium enim istorum esse regula poterit dictum Christi: Quæcunqe vultis vt faciant vobis homines, sic facite ipsis. Neque est adeo stupidus quisquam, vt ignoret quodnam lucrum honestum, & quodnam turpe sit. Contractus autem omnes eo modo se habeant, quo gesti fuerint. Recto quidem si iuste

gerantur, contra vero, si iniuste, quantumuis sequens aliquis verba iuris & legum, cupidum lucri ingenium occultare conetur. De disceptando *autem in iudicijs, & hoc cognoscendum, quod omnino deficiens quiddam sit, vt ante etiam diximus, in hoc casu apud Christianos, quemadmodum ait Apostolus Paulus obiurgans Corinthios :* Iam *sane omnino quiddam deficiens in vobis est, quod iudicia habetis inter vos, Cur non potius iniuriam fertis? Cur non potius auferri à vobis sinitis? Quapropter tutius est, penitus abstinere, si fieri queat, ab exhibendis alijs, & sibi ipsi quoque faciendis negocijs per disceptationes in iudicijs.* Eratq; optimum *neque facere, neque esse reum vnquam, neque adeo quocunque tandem consilio volutari in iudicijs, nisi postulante aut publico vsu, aut alterius periculo, aut proprio etiam officio. Quemadmodum & Isocrates de iuramento delato præceptum dat : Admittendum hoc duabus de caussis, vel se aliquis vt turpi crimine liberet, vel amicos vt periclitantes conseruet. Pecuniarum vero gratia, inquit, Ne iuratus vnquam sis Deum, ne vero quidem iureiurando. Erit enim de te opinio aliorum, quod peieraueris, aliorum, quod sis auarus. Atque pariter hoc loco dicere aliquis possit : Ne in ius eas vnquam sponte tua pecuniarum gratia.*

Aut

Aut enim aliqui te sycophantam, aut auarum esse opinabuntur. Omnino autem ita quies negocia fugiens Christiani animi perturbabitur. Relinquitur ergo sola illa supra dicta necessitas, qua oblata, laudabile fuerit, & disceptare, & alia omnia facere, & caussam agentes pro ipso Deo, & opem ferentes aliis.

De octauo præcepto.

Prohibita cum sint superioribus capitibus omnia, quæcunque ageret aliquis per vim & suis manibus, malum dans alteri, siue corpus ipsius læsurus, seu facultates etiam arrepturus, hic iam etiam ipsi linguæ lex fertur: Ne fingat verba vana & mentiatur aduersum alterum. Quod autem hoc corporis instrumentum simul vtile, & ad concilianda commoda idoneum maxime, simul absurdissimum & inprimis exitiosum sit, dictum sane est à multis, & nos in superioribus notauimus. Et verbum vetus sic percontatur: Lingua quo vadis? Illaq; respondet: Vrbem euersura, & vrbem instauratura. Mors enim & vita in manu linguæ. Est igitur prohibitio generalis mendaciloquij, & præceptio veracitatis, quemadmodum & Salomon enarrauit: Labra

veracia perficiunt vt rectum sit testimonium. Testis autem velox linguam habet iniustam. Et idem ait: Execratio Domino labia iniusta, sed præstans fidem acceptus ipsi est. Et rursum: Testis fidelis non mentitur. Et: Testis mendax non erit impunitus. Et rursum: Facere quæ iusta sunt, & esse veracem, placet Deo magis quam sacrificiorum sanguis. In Psalmo autem 34. Testes iniqui sunt, qui fraudes nectunt aduersus pium, simulate interrogantes, inquit, quæ nesciebam. Nam pacifica mecum loquebantur, & iracunde fraudes meditabantur. In 33. vero inquit. Quis est is qui vitam vult, amans videre dies bonos? Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur fraudem, quæ excerpta extant etiam in priore sancti Petri epistola. Iacobus vero obtrectationibus etiam peccari in hoc præceptum, ait, his verbis. Ne obtrectet vnus vestrum alteri fratres. Qui obtrectat fratri & iudicat fratrem suum, is obtrectat legi & iudicat legem. Definiendum igitur primum, Quid sit Mendacium, contra enim mendaciloquium expositum est præceptum. Est igitur mendacium oratio ficta studio fraudulento, ad malum quod alteri detur. Vel, Mendacium est elocutio asserens id quod non est, tanquam sit. Vel simplicius, oratio corrumpens verum. Vel, cum quæ dicuntur aliter se habent, quam quemadmodum dicun-

dicuntur. Vel, Mendacium est commentum cogitationis simulantis se vera proferre. Vel, Quæ non sunt certa & firma facere dicendo verisimilia. Varie enim & multifariam definire aliquis Mendacium possit, cum sit multiplex & multiforme. Vt enim boni, secundum antiquum prouerbium, sic etiam veraces sunt simpliciter, mali & mendaces vero omnismodi. Ex dictis igitur manifestum fieri poterit, quod mendacia, maxime illa quidem proprie dicantur, quæcunq; voluntate praua contra alterum calumniose componuntur, erunt tamen mendacia ea quoq;, quæ sententia vana & peruersa lingua effutiuntur, per vesanam orationem & simulationes, si noceant ea aliquibus, quamuis absit nocendi propositum, cum interdum neque cogitarit neque deliberauerit malum aliquis dare alteri. Nam quodcunque verbum ociosum si pro locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.

DE SIMVLATIONE

Ista igitur atque istiusmodi mendacia, & turpia & fugienda sunt vniuersa. Possit autem aliquando existere tergiuersatio quædam & simulatio, & res ficta neque culpanda & perutilis. Vt si quis simulet aut fingat quippiam ad malum quidem & interitum nullius, sed bonum &

salutem innocentis, siue alterius seu suipsius. Quibus comprehendi forte videatur etiam ea simulatio, quæ fit puniendi hostes impios caussa. Qualis Iaelis fuit, quæ fraude exitiosa decepit Sisaram. Et Iudithæ, quæ per amorem fictum non modo clam subtraxit victoriam sed animam etiam Holophernæ. Et Abraham non ille quidem plane elocutus fuit, quænam esset Sara, non negauit tamen. Et Dominus longius ire simulabat, cum apparuisset duobus illis in itinere Emaunta, ita disponens opportunitatem exhibendi se eis. At Paulus ironice dicens, ignorare se esse pontificem eum qui iussisset se verberari iniuste, non solum mendacij non debeat argui, sed in admiratione etiam & laude esse acutæ sententiæ, dum tempestiue usus fuit retractatione illa, vt ostenderet non seruare eum pontificis dignitatem, qui iudicando æquitatem & leges violaret. Nam non ignorasse eum quis esset Ananias, declaratur dicto ipsius Pauli: Tu sedes iudicans me. Similiter cum se socium adiunxisset Iudæis illis voti reis, simulando religione se obstrinxit ea, quæ cessare deberet, non hoc agens vt impedimento ea res esset præconio, sed isto pacto negocium disponens. Matres etiam si quando plorantes pueros increpant solent plærunque minari, se esse eos proiecturas lupis pabulum. Et est tamen custodia quadam in his opus.

Ne quis

Ne quis fallatur & in vanitatem incidat, & peccet lingua sua. Hoc igitur cum rectum sit: Non prodi à nobis neque suam neque alterius salutem verborum simplicitate, & sermone directo, sed amiciri illam dictis obscurioribus, & elocutione figurata & caligine, vt detineatur planum & verum, & surripiantur aperta, laudante alicubi hanc prudentiam etiam Salomone, vbi virum intelligentem solium appellat sensuum, cumq; sic fecerit Dauid imitando gestus furiosi, & Michol, quæ simulacrum curaret tanquam ægrotum: Hæc ergo cum ad hunc modum se habeant, non tamen etiam recte faciet, si quis externa facinora calliditatis intexuerit, Odyssseam inquam & Oresteam, & ex historys *Darij sententiam: vbi sane mendacio dicto opus, ibi dicatur, qui producitur ab Herodoto, & finem statuit veracitati & mendacitati acquisitionem lucri. Nos enim de his sic verba facimus, vt memores ante omnia præceptorum Dei, quibus cum timore Dei obœdiat aliquis, vt vbique intueatur in ipsius voluntatem, neue aliud quicquam spectetur agendo, quo minus omnia ei valde placeant. Sequente consideratione non rationum carnalium, sed spiritualium commentationum ductum ad religiosam pietatem. Sic etiam sentiendum de ijs quæ pietas fingit, esse vsum eorum in rebus humanis, in quibus debitores sumus*

simus atque serui tam nobis quam alijs beneficentiæ & conseruationis, cauentes ne quid triste aut nocens accidat. Quæ res vero diuinæ sunt, & continentur manifesta ordinatione verbi Dei, *in his neutiquam licet tergiuersari calliditate sapientiæ, & friuole aliquid simulare, quibus propositum est colere pietatem, sed tunc necesse est liquido confiteri veritatem, nihil dicentes aut agentes extra præscriptum verbi diuini. Hæc fere sunt capita seu articuli sanctæ fidei, & quæ ad illam referuntur. Nam si concedantur versutiæ, & callidæ sapientiæ colores hac etiam in parte, nunquam eueniat, vt in testimonio de fide perseuerantes aliqui, quod doleat perpetiantur quicquam, cum liceat eloqui hoc, & sentire illud. Id quod nequaquam licet, sed confessio esse debet nuda de his, & nullo tegumento inuoluta.*

DE FABVLOSIS TRActatibus.

De ijs autem quæ fabulæ dicuntur, & de tota poëtica, dijudicatio facilis est. Cum ne mendacia quidem hæc, secundum nostram definitionem, habenda sint. Etsi enim Poëtæ mentiuntur quoq;, quemadmodum dicere solemus, fingentes quasdam narrationes inanes, & eorum quæ nihil sunt, non ideo tamen poëmata statim mendacia

quoque

quoque futura sunt, non magis quam picturæ quibus talium exprimuntur & figurantur imagines, propterea recte perhibetur poësis pictura loquens. Fabularum igitur autores non componunt illa fallendi & detrimento afficiendi consilio lectores, sed tanquam vtiles vitæ effigies quasdam sententiæ de veris suæ exhibituri, in ijs de quibus aliud quam dicitur suspicandum sit, non vulgo quidem sed doctis. Eam ob rem inuoluunt ea quæ dicuntur, obscuris quibusdam & minime communibus, & facilibus ad intelligendum dictis. De quibus accuratius disserere non fuerit huius tractatus. Quod si quis & hæc mendacia appellare voluerit, sciat se ita appellare *audientibus fructuosa. Quemadmodum de Tragœdia aliquando Gorgias dixit, cum concederet esse eam deceptionem, sed qua qui deciperet iustior esset non decipiente, & qui deciperetur sapientior non decepto. De fabulis tamen & poëmatis diligenter res distinguenda est à pijs, vt non modo definiant quo pacto legenda & audienda, sed quæ etiam omnino admittenda sint in disciplina Christiana. Memores enim eorum quæ dicta sunt, scire poterimus, esse prorsus reijcienda & exterminanda quædam, plena nimirum impietatis & obscœnitatis, & stultiloquij. Cæterorum vero lectores erimus & auditores, non minus circumspecti & cauti, quam*

diligen-

diligentes & studiosi. Etiam in allegorijs modum quendam seruabimus. Neque tempus *(cuius preciosissimas esse impensas rectissime dictum est) in absurdis & monstrosis narrationibus*, ad *veri similitudinem has* redigendo, *absumemus.* Cum *præsertim habeamus*, quod multo *magis operæ precium fiat, non solum, secundum* Socratem *in studio cognoscendi quosque seipsos, sed secundum sanctum Paulum, vt habitet Christus per fidem in cordibus nostris, vt nitentes radice & fundamento caritatis valeamus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ latitudo & longitudo, & profunditas &* altitudo *sit*, & *cognoscere ingentem cognitionis caritatem* CHRISTI, *vt compleamur ad omnem completionem* Dei. *Atque nunc deinceps dicamus de formis, quibus cernitur diuidendo hoc peccatum, isto modo.*

I.

PRIMA *forma est falsum testimonium dicere, id est mendacio grauare alterum, siue apud iudices & arbitros calumniando, seu apud quoscunque obtrectando & maledicendo. De calumnijs vero & obtrectationibus (vnde græcum nomen habet Satan perpetuus Christi hostis) prius dictum est, plane enim hæ parricidiales & mortiferæ sunt.*

II. SE-

II.

SECVNDA *forma seu species est communium & vulgarium mendaciorum, & praui moris in celando veritatem fraudulente, & eius quæ appellatur astutia, & calliditatum nocentium ijs quibus cum versamur. Hi enim sunt, secundum Salomonem, desertores viæ directæ, vt ingrediantur viam caliginis, quorum semitæ detortæ, & deflexa curricula sunt, vt procul aliquem seducant à via directa, & alienent à sententia iusta. Nihil autem quicquam isti proficiunt, Ait enim idem Salomon : Qui nititur mendacijs is pascit ventos, & idem prosequitur volantes aues. Et rursum : Animi fraudulenti errant vagando in peccatis. Et : Calumniator pauperis irritat eum à quo conditus est.*

III.

In deliberationibus siue consulere allatura detrimentum, seu occultare vtilia. Similiter & fidem fallere, & arcana proferre. Estque cum ab alijs multis memoratum, quantum boni sit in silentio conueniente atque opportuno, tum ab Hesiodo præclarissime, hoc quodam modo.

Thesaurus linguæ eſt mortalibus optimus, eius
Sermonem parce quæ promit ————

Ex multiloquio enim, ait Salomon non effugies peccatum, parcens autem verbis intelligens eris. Et idem: Os deſipientis eſt ipſi contritio. Et rurſum: Qui cuſtodit os ſuum & linguam, is conſeruat ab afflictione animam ſuam. Qui autem non continet arcanum, neque ei tantum qui credidit reſeruat, quomodo non etiam depoſitum abiurando negauerit? Qui uero mentitur ſciens & volens, ille vix à periurio quoque ſe abſtinuerit.

IIII.

Illæ in oratione & vita ſimulationes, & perſonata dicta iocorum, quæ inſidiantur alteri. Nam oportet eum qui præceptum hoc aſſequi vult, non alienum modo eſſe ab omni prauitate morum & improbitate & mendacijs, ſed veritatis etiam amantem & ſimplicem & animo recto, & ſententia directa & ingenio generoſo, & conſtantem & incorruptum, & honeſtum ac probum, & horum omnium ſtudium dirigentem religioſè ad obœdientiam Dei, in fide eius qui legem conſummauit, IESV CHRISTI *Domini noſtri.*

V.

QVIN-

QVINTA species erit nimirum distorsionis, & in deterius peruersionis eorum, quæ ab aliis dicuntur & aguntur, & in disciplinis callidæ & ostentatoriæ sapientiæ, &, vt simul dicantur omnia, commenta animi fingentis aliquid improbe.

VI.

Obtrectationis, quam oblocutionem vocant. Obtrectationes autem, quamuis aliquid in his veritatis sit, semper tamen participant mendacium, ad hoc enim instituuntur vt noceant aliis. In ista autem animi acerbitate, vix fieri potest vt lingua venenata verax sit. Ac si quando mendacium forte in verbis non appareat, at mentem inuidia & æmulatione perturbatam peruersamq; tunc esse, & aberrare à recta sententia atque veritate necesse est. Nihil autem refert, vtrum natura aliquis an prauo more hoc vitio præditus, non modo corrigere illud non conetur, sed quandam etiam veluti materiam afferat ad augendum & inuidiam ipsam, & contentionem, & studium rixarum, non etiam nunquam assentationem in eo, vt aliquis obsequens alienæ improbitati, accusationibus implicet & conuiciis laceret, instar catellorum, vt dicitur, eos maxime qui absunt.

VII.

Procacitas, non modo insimulando audacter, sed iudicare etiam & condemnare alios. Atque adeo contendere & asseueratione vti contumace de quacunque re, magis rixandi cupiditate quam vero studio. Si præsertim negocium non planum sit neque perspicuum. Non prohibita tamen est orationis libertas & obiurgatio, & ne quis increpet ac coarguat delinquentes. Ac potius hac in parte quod amarum est atque mordet, pluris fieri conuenit eo, quod est dulce & lene in blandimentis. Qui irascuntur autem & moleste ferunt increpari se merito, ij morem habent minime idoneum ad pietatis virtutem. Et oportet tamen orationis illam libertatem vacare culpa: Hoc est admonitricem esse non conuiciatricem. Quæq; non solum studeat vtilitati aliorum, sed finem etiam habeat propositum, patrocinium piæ veritatis, & pro illa certamen. Sic iam non solum repræhensione carebit libertas illa, sed admodum quoque laudabilis futura est, quemadmodum & veterum quispiam dixit: Quod libertas orationis verax & seuera præclara sit.

De 9. & 10. Decalogi præcepto.

In fine legitimæ ordinationis adduntur hic capita duo, quæ eodem tendunt ambo, atque ea ostendunt, requiri à lege integram obœdientiam omnium virium humanarum, & non tantum actiones & insidias prohiberi maleficiorum, sed cupiditatem quoque ipsam per se contrariam legi esse demonstrant. Non quod *hinc tanquam ex fonte quodam manent omnia vitia ac peccata, quemadmodum & apud Græcos sapiens quidam dixit: Primum omnium malorum esse cupiditatem, sed quod non etiam culpa vacet ad Deum, qui non ille quidem egerit neque cogitarit atque consuluerit quod improbum sit, sed sola cupiditate irritatus moueatur, vt aliquid ex prohibitis aggrediatur. Lex igitur diuina diserte & plane expellit hic cupiditatem & omnem cogitationem iniustiticiæ ex conuictu piorum, ipsiusq; appetitionis incitationem vetat, non sola consilia & conatus violandi legem, quos etiam humana sapientia redarguit tanquam iniustos. Et circumfertur Xenocratis quoque sententia, bene & sapienter prolata: Nihil interesse, siue pedes seu oculos aliquis in alienam domum inferat. Eodem enim pacto delinquere eum qui aspiciat ad ea loca, ad quæ non debet, & qui accedat, quo non oportet. Diciturq; hoc à plurimis: Non esse solum eum improbum*

qui iniuriam fecerit, sed qui facere etiam cogitarit. In Herodoto autem memoratur: Veterem esse præceptionem: Spectare sua aliquem. Atque sunt oculi instar fenestrarum, per quas immittuntur cupiditatum caussæ. Quæ cum sic se habeant, scimus nihilominus, ab extraneis sapientibus quoque edocti, quod sint cupiditates quædam non vituperabiles, vt quæ naturales & necessariæ perhibentur. Patet enim esse cupiditatem affectionem quandam animæ in temperamento corporis, vt amare, diligere, curare, gaudere, tristari. Quæ quidem aliquis ipsa per sese, non magis vituperare possit, quam in sensus leniter quippiam aut grauiter incidere. Sed *fiunt hæc iam non magis ea quæ culpa vacent in nostra peccatrice carne, corrumpunturq́; cum propositi prauitate, tum vitæ contumacia. Verum interdictum hoc legis diuinæ non ita nunc prolatum est quasi distinguat inter cupiditates, sed vt radicem potius vitiorum excidat. Quam Stoici quondam nominati Philosophi, cum cernerent annascentem suffocare quodammodo perfecta virtutis officia, neque pati fructus hanc plenos producere, quod perturbaretur ipsa motibus affectionum: non probarunt tradita à prioribus, qui affectiones tanquam materiam virtutis & vitiorum in medio reliquerant, & finxerunt suis decretis quendam statum expertem affectionum,*

ctionum, optantes illi quidem magis hunc, quam docentes quomodo aliquis debeat parare. Quapropter simulacrum Stoici sapientis omnino nudum quiddam est in cogitatione, & nihil in rerum natura, quodq; nec audiendo nec videndo percipi possit. Vnde sit manifestum: Humanam quoque rationem & considerationem quærere virtutem quandam maiorem & perfectiorem hac communi & ciuili. Et consonat quidem illa modice legi diuinæ, in carne autem peccati peregrinans non inuenit eam, neque constituere de ipsa quicquam potest. Quocirca, Nemo qui homo natus leges scripsit, præcipiendo affirmauit, pœnam daturas esse solas cupiditates. Ac aiunt potius per prouerbium homines: Cogitationes non esse vspiam locorum vectigales. Vt sit hoc caput eximium & proprium legis à Deo latæ, quo perpetuo arguitur id quod in natura corruptum est, & suscitatur, veluti sopitus ignis, studium integræ iustitiæ in ijs qui conseruantur, & damnatur negligentia atque remissio improbitatis in ijs qui intereunt. Non enim paruæ sunt, neque modica cura dignæ istæ caussæ insitæ, & antecedendo efficientes omnium vitiorum, non illæ quidem in natura primum condita, sed quæ in huius corruptela per peccatum, extitērūt. Quas quidam extenuantes non animaduertunt se totam Euangelij sanam doctrinam peruertere. At

Paulus Apostolus, sine omni integumento & plane dixit, Quod cupiditatem ignoraret, nisi Lex præciperet: Non concupisces. Et, quod sit carnalis venditus sub peccatum. Quod enim efficio, inquit, non cognosco. Non enim quod volo, id ago, sed quod odi, id facio. Ostendens his, Quale sit malum & quam profunde incubans in natura humana, cupiditatis affectio, cum brutum tum repugnans voluntati diuinæ. Atque ista sunt scilicet naturæ leges diuinæ.

QVOD HAEC DECEM CAPITA peccata omnia coarguentem summam compræhendant.

PVERI.

Insistito hoc loco parumper, ô præceptor, & dicito aliquid de reliqua adhuc diuisione peccatorum, quæ in vulgatis libellis de pœnitentia continetur.

PRÆCEP.

Nihil est omnium quod non cadat sub vnum aliquod ex capitibus huius legis. Neque vtilitatem habet vllam commorari in perspiciendis peccatis. Nam morsus conscientiæ, vbique haud est futilis, ac potius valde sentitur. Re-

ctiusq;

ctiusq; fuerit studium ponere in obliuione & relinquenda memoria ac cura peccandi. Scriptum enim est: Quod Deus proposuerit CHRISTVM IESVM propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem iusticiæ suæ, per remissionem ante designatorum peccatorum. Patet igitur rectum esse discedentes nos ab illis memoria nostra, persistere in ea iusticia quæ ante pedes est. Cum præsertim diuinus Dauid prædicet beatos eos quorum tecta sint peccata. Neque hoc ego dico, quod rectum sit vel leuia ducere peccata per iniuriam, vel negligere confessionem & enarrationem ad Deum. Ait enim Dauid, quod silentio inueterauerint ossa ipsius, in enunciando autem dimissa sit impietas cordis ipsius. Et alibi, quod iniquitatem suam annunciaturus sit, & solicitus futurus de peccato suo: Sed cum hypocriticam curiositatem improbamus, tum accusamus inutile studium, & examen perniciosarum cogitationum, cuius & in sequentibus mentionem facturi sumus. De his igitur vt in præsentia, satis dictum est.

DE EO QVOD FVGERE OPORteat occasiones peccandi, & de scandalo.

Hoc autem nunc aliquis opportune admonuerit,

nuerit, id quod animaduertendum eſt delictum in vniuerſo de peccatis tractatu commune: Si non fugiat aliquis cauſſas peccandi, quarum prima eſt praua ſodalitas, ex qua mala euenire, ait Theognis, & interire in conſuetudine malorum mentem eam quæ adhuc adeſt. Primum igitur hoc incitationem habet ad violandam legem, verſari cum improbis, & horum conſuetudine tempus terere. Talis enim vnuſquiſque eſſe ſolet, quales ij ſunt, quorum familiaritate libenter vtitur. Secundo, Non quærere occaſionem benefaciendi de conſuetudine iuſtorum atque ſapientum virorum, ſed ſequi dementiam deſipiendo & nihil curando honeſtam educationem atque diſciplinam, De hoc ait Salomon, Quod mali oderint ſapientiam, timoremq́; Domini non propoſuerint. Quodq; deriſerint repræhenſiones ſapientiæ. Eſt autem argumento hoc eſſe amentiam pernicioſam, ſi quis iraſcatur admonentibus, & auerſetur caſtigantes. Similiter & qui in tentationibus nimis dolent, & moleſte iactantur, & murmurant aduerſus diuinam inductionem, ij & inſaniunt in peccatis, & incurabili morbo hoc incogitantiæ detinentur. Quapropter & Salomon hortatur filium, id eſt eum qui ad diuinam ſapientiam inſtituitur, hoc modo: Fili ne neglige diſciplinam Domini, neque dum argueris ab ea. Quem enim diligit

diligit Dominus eum castigat, & affligit filium quemcunque admittit. Aliquos autem à nobis offendi (id quod scandali nomine indicatur) scimus quod ab ipso CHRISTO grauissimum esse demonstretur, quodq; scandala non modo exemplo noceant fide coniunctis, sed à fide etiam alienis caussam dent infamiæ, aduersum nostrum institutum & doctrinam, effundentibus scilicet se maledictis, propter peruersitatem & peccatum vnius, in vniuersos.

QVO PACTO SERVENT LEgem pij, deq; ijs qui non assequuntur finem.

Repetentes igitur iam ea quæ dicere cœpimus, dicamus amplius, Quod ista legum diuinarum capita sint, obscurata quidem atque confusa quodammodo per contumaciam seu inobœdientiam, rursum perfecta autem & renouata editione & ordinatione diuina. Atque hæc sequi & seruare præcepta cunctos necesse est, quibuscunque sane propositum est pie & sine vituperatione, & sic à Deo vt diligantur, viuere. Non tamen quasi vis ipsis afferatur, & necessitate in eos mandatrice incumbente, sed ipsis libentibus & animo studioso hac sequendo pergentibus, quiq; iam non tanquam peccatores sint, & alieni à

Deo, sed iustificati fide, & pacem habentes cum Deo per CHRISTVM. *His autem lex nulla lata est, vt ait Apostolus Paulus, sed contumacibus & improbis, & alienis à disciplina. Omnino tota vita humana quibuscunque temporibus, effigiem atque formam poterit ex his decem seu verbis seu capitibus præceptorum diuinorum sumere vniuersorum, quæ agens aliquis & quibus se abstinens sine crimine vitam degat ad Deum & homines, in fide sancta & caritate non simulata, cum bona spe, quod & effugerit peccati condemnationem, & operum bonorum laudem, nec non mercedem quoque sit consecuturus. Atque in his sese exercendo simul ad pietatem animum præparauerit, simul corpus premendo subijciens, secundum sanctum Paulum, & in seruitutem dans, magis ipse victor affectionum, quam his obnoxius futurus sit. Vt nihil opus sit alicui absurdis istis excogitationibus & studijs, quæ, semel illa secessionis & vitæ solitariæ re commota, multiplicata & supra modum aucta fuerunt. Cum essent admirationi cunctis, & pro perfectione vitæ Christianæ haberentur, cum sint minime omnium, ac potius fallacia & deceptio orationis probabilis atque mendacij, per quæ vlciscitur iusticia diuina eos, qui non admiserint verbum diuinum, & huic obœdiuerint. Quod autem illi, qui primum ex vrbibus*

bibus & hominum turba secesserunt, & solitariam quandam vitam instituerunt: Antonij inquam & Paphnutij & Spyridones, & alij quamplurimi, cum essent homines, affectionis etiam aliquid humanæ habuerint, sine illorum tantorum virorum contumelia perhibere aliquis posse videatur. Quos quidem arbitramur haud absque ratione, neque sine magna atque memorabili caussa, ad talis vitæ constitutionem & modum delatos esse. Perspicuum autem est, quod solitarijs ipsis precium operæ & conducibile fuerit simul etiam proposito illi exercitationem quandam adiungere, fueruntq; ad per multa vtiles illæ exercitationes virtutis, ad necessaria autem tunc certamina inprimis, vt tanquam pugiles quidam fidei ipsi habitum quendam inducerent tolerantiæ & continentiæ & roboris animi. Quocirca veluti puerili institutione seniores quidam educentes iuniores, cœtus congregarunt solitarios, & vitam eam regularum legitimis edictis descripserunt, & ita ipsos in seuera atq; virtute prædita duritia perseuerare coegerunt, haud quaquã vsurpantes flatum seu fastũ odij humani, sed improbitatem austere auersantes. Qui considerare autem voluerit, is, ut opinor, inueniet rem non absurdam, neque repugnantem esse sanæ doctrinæ, siquidem simpliciter geratur, & bono fidei orthodoxæ, atque vitæ communis piæ-

Quemad-

Quemadmodum contra subiecto huic generi fundamento fluxo, vel eo etiam plane mutato, vt iam sit iste voluntarius cultus mirificus, & efficacia erroris, & hæc virtus terrena, siue in sapientiæ opinione, seu simulatione & deceptione hominum: nimirum oportebat istud studium, hancque occupationem reprimi à celesti veritate apparente in mundo, & eijci ex communitate ecclesiastica rectè sentiente & bene ordinata, quicquid falsum est, & Christo contrarium in hoc proposito, & in actione maleficum atque turpe. Illud autem genus antiquum in honore aliquis habens fortasse existimare possit, Deum ipsum vero ordine quodam disposuisse ista, qui vellet tanquam in magno theatro producere de ecclesia catholica CHRISTI, *tales quosdam pugiles virtutis, vt Philosophi celebrati quondam apud Græcos veluti in mundano proscenio, & quicunque alij virtutis laboriosæ fama nobiles, Pythagoræ inquam, & Socrates, & Gymnetes, & Brachmanes, comparati cum eis inexercitati viderentur, atque hac in parte æquale esset pondus actionum Christianarum, vel hæ vt potius si expenderentur ad quascunque alias, superarent eas ac vincerent. Hanc fortasse alicui coniecturam de his capere liceat, non illi quidem rem istam penitus reijcienti, immo reuerenti eos, qui in hoc statu sanctè vixisse, & pro*

veris

veris ac rectis dogmatis fortiter propugnasse, & multis spiritualibus donis excelluisse, & ad ecclesiæ CHRISTI *vtilitatem quamplurima fructuose elaborasse, consensu veteris historiæ prædicantur: Integritatem tamen & puritatem apostolici præconij statuenti ac volenti conseruari omnium maxime. At monachi recentiores, tanquam posterior soboles, tanto reperiuntur deteriores extitisse, quanto longius tempore ab illorum soliditate & magnanimitate recesserunt, prolapsi ad præstigias quasdam, & dissentaneam animorum elationem, quemadmodum superius quoque, quasi prætereundo, ostendimus. Neque enim aliquis breuiter possit, neque in præsentia rectum sit, de his accurate disserere. Cogitet igitur atque loquatur de his quisque, quemadmodum sentit.*

DE AFFECTIONVM CArentia.

De ijs vero qui apud Christianos olim æmulati sunt dogmata eiusmodi, qualia Stoicorum Philosophorum fuerunt, producendo carentiam affectionum tanquam finem piæ seu religiosæ virtutis, & duplicem introducendo vitam, vnam contemplationum, & alteram actionum quæ communis esset: necesse quidem est dici aliquid hoc loco, cauebimus tamen ne quid aliud studio

habuisse nobis videamur nisi veritatẽ, cuius iactura omnino intolerabilis est, vt non assequens veritatem, simul etiam salute priuetur. Hæc enim scilicet in eo est, vt cognoscatur Deus verus, qui vero ignorat veritatem, is ne Deum quidem cognoscit. Manifestum autem fit hoc studium seu occupationem istam intueri volentibus, quod prauitas ea sit æmulationis, & imitatio priorum, quorum mirabilem parsimoniam nihil requirentem, aut excellentis fortitudinis robur fama celebrat, (qualis Socrates fuit Athenis, & magis etiam Crates atque Diogenes) & implicatio eorum quæ de contemplatione veteres Sapientes disputarunt. Fuerunt autem apud Hebræos Prophetæ eiusmodi viri, vt per eos mirabilia opera designaret Deus, cum alia multa, tum vt naturam nihil impediret in vllo quod Deus ipsis mandasset. Quale accidit in dierum quadraginta Mosis ac Heliæ à cibo abstinentia. Verum ista neque potestati neque consilio hominum subÿciuntur, & sunt diuinæ res non humanæ. Et de eis tam cogitationem quam aggressionem vltro suscipere, & moliri nouando aliquid, ad cultum recentem & agitationem diuinam ascititiam, neutiquam consentaneum est sanæ de fide doctrinæ, & Apostolicis traditionibus. Nam legem ferre contrariam necessitudini naturæ, & afferre alteram necessitatem

mutatio-

mutationis cuiusdam, quæ neque speciem habeat honestam in deformitate, neque vtilis sit in peculiari illo more: neque piæ & religiosæ cognitioni, neque iustæ hominum caritati consonum est. Distinguenda autem sunt omnino ea, quæ in natura sunt primitiua & primæ creationis, à lapsu atque corruptela horum. Reperitur igitur illa carentia affectionum res non humana, ac ne naturalis quidem. Christianismus vero non est interemtio sed instauratio, neque bruta aduersatio, sed legitimus vsus omnium, quæ secundum naturæ integram legem geruntur. Quapropter & Christum Theologi non fuisse autorem docuerunt interitus naturæ, sed transformationis. Est itaque studium istud exercitationum piarum, tanquam puerilis educatio res perbona atque vtilis. Nam in animo experte disciplinæ, quales sunt affectionibus indulgentium, perspicuum est non posse innasci amorem piæ & religiosæ laudis atque honestatis. Et ideo conducibilem certe ac potius necessariam in ecclesiastico statu, & in eo vita perfecta, esset statuendum quasi teneram hanc exercitationem: In potestate aliquem habere cogitationes carnales, & conuertere se credentes sursum ad Christum sedentem à dextris Dei, non magis humum intuentes, & sequentes ductum cupiditatum animi, vt prorsus mortificati quidē peccato, viuentes aūt

iusticiæ,

iusticiæ, quæ est per fidem iusti CHRISTI, *de cætero non aduersando naturæ, sed corruptelæ illius non magis obnoxij, & vincendo omnino auxilio sancti spiritus malum: Sic quod ad quemque pertinet, vt efficiant animo promto, & in dogmatum veritate nusquam fallantur, & ad aliorum bonum ac commodum agendo cuncta, cum sententia recta, & moribus hominum studiosis, perpetuo precentur & gratias agant, & aliquid vtilitatis ad conuictum sociorum fidei, &, si fieri queat, omnium mortalium, à se conferant. Et, ne in prosperitate efficiantur dissoluti, neu in malis animum despondeant, conenturq; semper moderate ferre omnia voluntate Dei accidentia, peculiaremq; fortunam hominum, vt quasi in acie stantes contra cupiditates & impetus vitiorum, non cum ipsa natura, sed cum labe huius dimicantes, ita conficiant spacij sui curriculum, & assequantur honestis fidelium contentionibus propositum præmium, victoriæq; mercedem. Non tamen vel celebrabunt hi, vt portum malorum, illam mirabilem carentiam, id est vacuitatem affectionum suscipiendo, vel tanquam scalarum gradus quosdam huius ad illum finem summum proponent. Quæ sunt omnino periculosa, neque non quodammodo falsa, euadentia per voluntarios cultus stolidiorum & quorum leues sunt mentes, ad manifestam*

nifestam labefactationem sanæ doctrinæ, dum decernunt indefinite, esse hanc religiosæ pietatis perfectionem, violente dominari naturæ, & dissipare eam, vt tandem similes fiamus feris bestijs, quemadmodum alicubi scripsit Euagrius. Quæ manifesta est mentis peruersitas, obsidionem instituens naturæ, quæ non euerti debet, sed indiget correctione. Est autem malum hoc perquam graue, tanto quidem magis, quo minus interdum intelligitur, inter vel occultandum vel blandiendum: Expetere, inquam, ea, quæ adipisci nequeas. Quid est enim aliud? In carne esse Angelum aliquem, (vt quidam dixere, ostentantes tanquam venerabilem occupationem istam) & sublimem instar Dei in terra, & qui volitet intra cœlum & terram medius: Aut gloriosæ nugæ quædam commutantium veterem superstitionis flatum recente altero. Quemadmodum quidam plane fecerunt, pro Socratica suspensa corbe Comica, Tragicam columnam erigendo. Et Christianorum religiosæ pietati simplici varias mirabilium opinionum effictiones, tanquam machinis quibusdam inducendo, quæ ad se semper humanos animos trahere solent, eisq; si nugatorij sermones cum specie religionis annectantur, in procliui admodum est, vt veritas conficiatur atque deprauetur, & omnia superstitionis flatu & impietate compleantur,

quibus iam totus orbis terrarum malis eſt refertus, atq; tanquam nauigium ſupra modum onuſtum mergitur, & ludibrium factus eſt diaboli, in caligine quæ palpari poſſit mendaciorum. Quam tu, O CHRISTE IESV, *qui veniſti ad diſſoluendum opera Diaboli, reijce & abige à nobis miſeris & afflictis, vt cognoſcamus in veritate Deum patrem æternum & te, quem ille miſit filium ſuum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & vtriuſque ſpiritum ſanctum, vnum, ſolum, verum, æternum, iuſtum, miſericordem Deum, cui gloria, laus & victoria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Conſummata repetitio.

PERcurrimus iam decem legis diuinæ capita cum noſtra commentatione, quam conuenire Catechetæ arbitrati ſumus. Ex quibus nunc vos tentate breuiter ad quædam reſpondere, quæ maxime in promtu habere cogitationem eorum oportet, qui ſe volent perhibere Chriſtianos.

PVERI.

Quænam ſunt iſta?

PRÆCEP.

Qui

Qui finis præceptorum. Quod quatuor aliquis circum quodq; præceptum considerare debeat. I. Quidnam illud præcipiat. II. Qui finis præcepti. III. Nunquid efficere possimus quod præcipitur. IIII. Quo pacto placeant Deo actiones nostræ, & ad quæ pertineat legis latæ opus.

PVERI.

Tuum scilicet fuerit & hæc enarrare.

PRÆCEP.

Percontamini itaque ordine de vnoquoq;, vt procedat disputatio decenter.

PVERI.

Quinam finis est præceptorum.

PRÆCEP.

Omnem obœdientiæ conatum Deo consecrare, vt consequenter ab hoc principio ita progrediamur intuentes voluntatem Dei, & honorantes eum, & ipsi seruientes corde puro & absque simulatione.

PVERI.

Quidnam vero singula præcepta iubent?

PRÆCEPTOR.

De his sane in superioribus copiose est dictum. Quinetiam alterum: Qui finis sit, consummando iam repetentes priora, diximus.

PVERI.

Reliqua sunt igitur Tertium & Quartum: præceptorum opera quomodo efficiantur. *Hæc ne elaboramus igitur, et sufficimus illis perficiendis, secundum voluntatem eius, qui legem tulit, & quæ opera nostra placere ei poterunt?*

PRÆCEP.

Etiam vos interrogati dudum dixistis, Non esse nos eos, qui ex nobis impleamus edicta legis. Talis enim vis hominum esse nequeat, neq; hoc carnis opus fuerit infirmæ, & corporis, quod peccatum tenet captiuum. Nostra igitur imperfecta sunt, & non possunt exhibere ea quæ postulantur à Deo, placet tamen Deo qualiscunque obœdientia nostra propter CHRISTVM, *qui patrem placauit per integram & perfectam obœdi-*

obœdientiam, quemadmodum & antea dicere cœpimus, & iam pluribus exponere tempus fuerit.

PVERI.

Non prius quidem quam & hoc persoluas.

PRÆCEP.

Quodnam?

PVERI.

Ad quæ pertineat legis latæ opus.

PRÆCEP.

Etiam hoc ratiocinando de prius dictis inuenietis, quod ad tria. I. Omnes homines vt regulam habeant morum & conuictus ciuilis, & erudiantur ad virtutem, & ordinis custodiam, & morum honestatem, dum hoc quodam modo peccatum coercetur, & qui adhuc paruuli sunt vitæq; imperiti, à carnali proteruitate abstrahuntur, & docentur coarguendo, & admonentur puniendo: vt acquiratur simplicibus calliditas, pueroq; iuueni sensus & intelligentia, secundum Salomonem. II. Vt peccatum per præcepta legis supra modum peccati atrocitatem habens appareat, & nos huius

conscientia perculsi metu, ita scilicet afflicti resipiscamus, & quæramus illam salutem, quæ est in CHRISTO. *Triusquam enim alicui contingat remissio per fidem in* CHRISTVM, *necesse est eum cogitatione perturbari & exanimari formidine, propter peccatum quo accusatur.* III. *Vt iustificatis quoque fide proposita sit demonstratio voluntatis diuinæ, secundum quam viuentes placere Deo possint, vt iam frustra quærantur aliæ occupationes quæpiam ad seruitutem Dei extra hæc. Nam iusti lege non tenentur, quæ eos damnet & obnoxios premat, & tamen tenentur arguente vetustatem carnis, & instigante nos veluti verberando ad nouitatem spiritus. Atque oportet se præbere hos eos qui volentes obtemperent legi. Sic enim liberi erunt, credentes liberatori Christo, & parebunt æternæ voluntati, & immutabilibus mandatis Dei. Et sine culpa ac crimine perpetuo erunt in* CHRISTO IESV *Domino nostro, siquidem permanserunt in fide, quemadmodum scriptum est in epistola ad Colossenses. Eiusmodi sunt fere quæ in epistola ad Timotheum secunda exponuntur his verbis: Vniuersa scriptura diuinitus inspirata est, & vtilis ad doctrinam, ad coarguendum, ad correctionem, ad disciplinam iusticiæ, vt sit integer homo Dei ad omne opus bonum comparatus.*

ratus. Diuinitus enim inspirata scriptura legis & prophetarum, auscultantes iuuat primum docendo, vt non magis iactentur hi fluctuantes, & quocunque eos circumferente vento doctrinæ in hominum tanquam tesserarum ludo, & versutia ad erroris seductionem & insidias, secundum scripta ad Ephesios. Eadem etiam coarguit peccantes, studens reuocare eos in viam veritatis, propterea & erectio est apud illam lapsorum, & instauratio euersarum animæ & corporis virium. Eadem erudiens disciplina sua audientes, & deducens ad cognitionem filij Dei, vt illi euadant per iustitiam, quæ est in fide, ad virum perfectum, ita eos apparat in Christo, & defert in portum vitæ æternæ.

DE DICTIONE LEGIS.

Quoniam vero multa de lege dicta sunt à nobis, hæc autem dictio apud Apostolum præcipue diuersa quadam significatione extat, non fuerit alienum à tractatione proposita, declarare aliquid de hoc quoq;. Sciendum igitur quod Hebraici sermonis proprietate lex apud Apostolum interdum doctrinam & præceptionem significet, vt cum memorat legem, distinguens operum legem, quam & mandatorum vocat alicubi, & fidei. Interdum ipsum Mandatum, vt Cupiditatem sane ignorassem, nisi lex diceret: Non concupisces.

pisces. Rursum alibi incitationem significat hæc dictio & attractionem, ac potius dominationem quandam, vt quando Apostolus ait: Duplicem legem se sentire, vnam dum velit, alteram dum non efficiat tamen opus, quam & legem peccati appellat. Et rursum: Quod lex spiritus vitæ in CHRISTO IESV *liberauerit ipsum à lege peccati & mortis. Versari autem se ait iam in statu vitæ gratiæ, & non mortis peccato subiectum. Secundum igitur hæc, nomen audiendo rectè accipientes, Pauli de lege disputationes admittemus, non quærentes alias in similitudine significationis (quam æquiuocationem vocant) fictas differentias obstantes perspicuitati doctrinæ apostolicæ. Vt cum tres leges sumit Apostolus, vnam mentis, secundum id quod naturæ est insitum bonum. Alteram corporis aut carnis, quæ ex mali obiecto instituatur. Tertiam peccati & cupiditatis. Sic enim Methodius enarrauit. At Photius, vnam perhiberi ab Apostolo Paulo ait legem scriptam & Dei, alteram naturalem seu insitam naturæ, tertiam quæ conualuerit in nobis per peccatum. Quæ quanquam non repræhendi ab aliquo, si commoda interpretatio accedat, posse videantur, eiusmodi tamen sunt, vt hoc loco exposita quodammodo Apostoli dicta confundant atque peruertant, & legentium animos à sanis cogitationibus abducant,*

cant, id quod inprimis cauendum, ne in doctrina sana fiat, præsertim incipientibus & studentibus fundamentum iacere Deum venerantis & salutaris cognitionis. Atque hæc cum de legum ordinatione mediocriter disseruerimus, finem faciemus hac in parte institutionis istius, collaudantes ob qualemcunque sane elaborationem hanc Deum, & precantes vt ipse adiutor assit, vt nostro labore duo adhuc reliqua capita diuisionis nostræ, et ipsa absoluantur, ita vt ei placeat opera, & prosit legentibus. Ipsi æterno, soli, vero, iusto, sancto & misericordi Deo patri & filio & spiritui sancto sit gloria, virtus & victoria in sæcula sæculorum, Amen.

SECVNDA PARS CATECHESEOS, IN QVA EXPONITVR FIDEI CONFESSIO, & quæ ad hanc pertinent.

POSTQVAM percurrimus doctrinam legis, secundum modum elementorum, & initij disciplinæ, quæ est Catechesis, restat scilicet, vt cætera etiam huic tractatui addantur. Horum est pro eo quem sumsimus ordine, secundum, Fidei confessio, et ea quæ ad illam pertinent, cuius quidem doctrina peculiaris & propria est professionis Christianæ, et sola salutaris, secundum æternam voluntatem Dei, arcanum illud quidem æternis temporibus tectum silentio, patefactum autem per præconium Euangelicum IESV CHRISTI ex scriptis Propheticis, secundum mandatum æterni Dei, ad obœdientiam fidei, cuius ad omnes etiam gentes noticia peruenit, quemadmodum ait sanctus Paulus. Superant autem ista omnem cogitationem & sapientiam humanam, & est hæc eximia cognitio, quæque nullam alteram habet similem, neque sub humanas considerationes cadit, eorum scilicet quæ solo verbo Dei patefacta sunt tam de natura quam voluntate Dei, Vt audientes ista & Deum

um ipsum cognoscant, & quomodo ille erga ipsos affectus sit intelligant. Atque fuit olim mirabile studium & scientia quoque cultus & venerationis Dei apud Iudæos, Aegyptij vero nobilitati sunt possessione sapientiæ, & Græci disciplinarum copia & eloquentia clari fuerunt, & alij alijs virtutibus incumbentes, gloriam & laudem obtinuerunt. Nemo autem vnquam ratione & cogitatione humana compræhendere potuit diuinam veritatem, neque intelligendo assequi latitudinem & longitudinem, & profunditatem & altitudinem cognitionis de Deo. Sed est hoc donum Dei, quo reddimur ij quorum magister est & doctor Deus, cum simus discipuli sermonis Dei, & verbi veritatis, quemadmodum & Baptista ait: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu patris ille enarrauit. Et ista est Christianorum arcana sapientia, præconium de filio Dei, & Christo Iesu crucifixo, quod est Euangelium, scandalum illud quidem ijs quorum animi trepidant & percelluntur de cultibus diuinis, ridiculum autem prudentiæ gloria exultantibus. Vocatis autem tam Iudæis quam Græcis, inquit sanctus Paulus, id est vniuersis quos hic sol videt hominibus obœdientibus præconio Euangelij, est Christus Dei potentia & Dei sapientia.

DE

De discrimine legis & Euangelii.

REpetenda autem memoria sunt ea quæ supra quoque dicta sunt de discrimine legis (nimirum mandatorum, quam modo legem vocamus) & Euangelij, siue doctrina legis & Euangelij. Quarum vna cum alteram quodam modo constituat, & complectatur (nam Christus qui est finis legis, ipse ait Mosen de se scripsisse) longissime tamen vna ab altera distat atque separatur, tam initium quam finem sortita diuersum, quemadmodum iam diximus. Discrimen autem perspicere aliquis in his potissimum possit numero sex, quæ sequuntur: I. Quod lex exigat id quod iubetur, & non elaborantes puniat, Euangelium vero promittat delictorum remissionem, & gratiam iustitiæ per CHRISTVM IESVM *Dei filium. II. Quod lex de operibus humanis negociosa, Euangelij autem opus diuinum sit, vt scriptum est Iohan. 6. III. Mercedem proponit lex operanti ex debito, sed Euangelium secundum gratiam est credenti in eum, qui iustificat impium. IIII. Lex secundum sanctum Paulum iram operatur, Euangelium vero placationem & salutem & pacem largitur credentibus, quemadmodum scriptum*

ſcriptum eſt, Qui credit in filium, habet vitam æternam. Qui autem non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum. Et Paulus ſcribens Romanis docet credentes iuſtificari gratis gratia Dei per redemtionem, quæ eſt in CHRISTO IESV, *quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius. V. Legis proprium iudicium: Nam qui fecerit ea quæ lex mandat viuet in eis, ſed Euangelij Miſericordia eſt, quemadmodum ſcriptum eſt. Credens in filium non iudicatur, Non credens autem iam iudicatus eſt. VI. Lex non efficiens illa quidem iuſticiæ, teſtimonium ipſius erat, accommodata peculiariter Iudæis. Euangelium vero id eſt de quo dicitur teſtimonium. Denunciat enim iuſticiam cuius eſt teſtimonium lex & Prophetæ, iuſticiæ inquam Dei in omnes, & ſuper omnes credentes. Non enim eſt diſcrimen vt ſcribit Romanis S. Paulus.*

Quid eſt Euangelium? Et de eo quod dicitur iuſtificari nos fide tantum.

QVid dicemus igitur demonſtrare nomen fidei? & ſignificatio quomodo definiri poterit?

terit? Sic quodammodo, non absurde vt opinor, si dicamus, Quod Euangelium sit præconium pœnitentiæ, habens promissionem remissionis peccatorum, & iusticiæ & communicationis sancti spiritus ad vitam æternam, his omnibus gratuito munere contingentibus, propter Christum omnibus credentibus. Christus enim ait ipse sic esse scriptum, oportere fieri in nomine ipsius præconium pœnitentiæ & remissionis peccatorum, incœpto præconio hoc à Hierosolymis. Et Paulus apud Lucam ait, Testificari tam Iudæis quam Græcis, pœnitentiam ad Deum & fidem in Dominum nostrum Iesum. Esse autem efficacem spiritum sanctum in credentibus patet ex ipso vsu, & inquit Apostolus Paulus, Dilectionem Dei effusam esse in cordib. nostris per spiritū S. Et: Ipse spiritus simul testimoniū dat spiritui nostro, quod simus filij Dei. Et rursum: Spiritus simul alleuat imbecillitates nostras. De æterna autem vita Iohannes diserte ait, Quod Deus vnigenitum filium dederit, vt quicunque in ipsum credat is non pereat, sed habeat vitam æternam. Quod autem hæc adipiscantur gratis credentes, & freti non virtutibus suis aut propria dignitate, sed solo iustificante impium Deo patre Domini nostri Iesu Christi, testimonio confirmatur totius diuino instinctu editæ scripturæ, & sacris Propheticis atque Apostolicis libris, vt qui ausit disceptare

de hoc,

de hoc, is penitus excidat sana doctrina, & salutari verbo, & sermone rectæ sententiæ, qui est sermo veritatis, & separet sese à communione Ecclesiastica. Plane enim & sine ambiguitate tam verbis quam sententia dictum est hoc, quo & catholicum in ecclesia Christi dogma comprobatur, nimirum fidem iustificare solam, in Epistola ad Roman: Omnes peccauerunt & deficiuntur gloria Dei, iustificanturq; gratis eiusdem gratia, per redemtionem quæ fit in CHRISTO IESV. *Et paulo post ait Apostolus, fide iustificari hominem sine operibus legis. Et ad Ephesios scribit hæc: Gratia estis saluati per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus. Et ad Philippenses: Non habens meam iusticiam illam ex lege, sed quæ est ex fide Christi, illam ex Deo iusticiam in fide. Et in secunda ad Timotheum: Patere afflictionem cum Euangelio, inquit, secundum potentiam Dei, qui saluauit nos, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propriam propositionem & gratiam, datam nobis in* CHRISTO IESV. *Et in epistola ad Titum: Benignitas & erga genus humanum caritas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus spectatis iusticia, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam, saluauit nos, per lauacrum regenerationis &*

nis & renouationis Spiritus sancti. Mansitq; hoc dogma sincerum donec sacrarum literarum lectio floruit in Ecclesia. Postea doctrina illa neglecta, cum homines non magis studio tenerentur veritatis, neque sequerentur bonum pastorem, sed vagarentur huc illuc, breui sane inusitata eis facta est vox ipsius, audientibus quosuis potius quam diuinum sermonem. Atque ita & ecclesiæ phrasis est barbarie contaminata longo tempore inter barbaros, & dedidicit linguam patrum, & sanæ doctrinæ sensum non custodijt. Ad quæ vnicuique est reuertendum, quicunque tandem cupidus est adipisci finem fidei suæ, salutem animæ, secundum sanctum Petrum. Quod autem separatis omnibus sancti patres antiqui, solam iustitiam ex fide tanquam gratiam & donum Dei propter CHRISTVM *celebrauerint, patet de consequentia commentariorum, quæ reliquerunt nobis illi, atque etiam verbis ipsis diserte dogma hoc enunciatum apud illos reperitur. Inquit itaque Basilius, in sermone de humilitate animi, sic: Ista est perfecta & integra gloriatio in Deo, cum neque ob iustitiam suam aliquis extollitur, sed scit indigentem se quidem esse iustitiæ veræ, fide autem tantum quæ est in Deum, iustificari. Et Patriarcha Photius in tertium caput epistolæ ad Galatas: Vniuersi sane conclusi erant in peccatum, & ideo ex sola*

fide

fide possint consequi promissionem. Ex lege enim magis coactos omnes esse in peccatum, demonstratum est. Coarguit diuina scriptura tam eos, qui ante legem, quam qui in lege fuerunt, illos naturæ, hos Mosaicæ transgressores. Remedium autem & his & illis, promissam per fidem obtulit salutem. Et in secundum caput posterioris ad Colossenses. Nam transgressi ea ad quæ sponsione obligabamur, obnoxij eramus chirographo, sufficit autem credere solum, & baptismate deletur chirographum. Et Gregorius in sermone de ordine. Confitere IESVM CHRISTVM, *& crede eum esse ex mortuis resuscitatum, & saluus eris. Iusticia enim est credere tantum, salus aũt absoluta etiam confiteri, et addere libertatem orationis cognitioni. Atque esset facile plurima sanctorum patrum huiusmodi testimonia proponere, cum tamen ea quæ in scripturis demonstrantur eiusmodi sint, vt eis contradici nequeat, cumq; illa plane & perspicue hoc dogma constituant: neque opus fuerit testificationibus pluribus, & nemo poterit vnquam asserere diuersum, nisi callide scripturæ dicta peruertere, & malitiosa enarratione vti, aut furtim etiam subtrahendo verbum quodpiam, ita veram sententiam labefactare velit. Quemadmodum sane & facere aliqui audent, qui malunt defendere mendacia, quorum cumulo obruitur veritas, quam socij*

esse certaminis pro verbo Dei. Atque horum aliqui tam absurda proferunt, vt statim conspecta hæc ridicula & odiosa videantur. Qualia sunt falsorum Monachorum monstrosæ doctrinæ. Aliqui conantur venustum quendam colorem illinere mendacio, partim huic, partim veritati sese applicantes. Hi quo sunt maliciosiores varietate & specie bella exornantes mendacium, eo magis refutanda & conspuenda est contraria hæc Christo excogitatio, & sequenda etiam hac in parte diuinæ scripturæ & commentariorum patrum piorum series. Miscent autem vt dicitur, canina & asinina, & diuersarum disputationum confusione corrumpunt veritatem. Ac si quis quid dixit contra eos qui non sano sensu accipiunt doctrinam de fide, neque metuunt Deum, sed illam doctrinam prætendentes vitæ carnali, & carenti pœnitentia, fidei quidem cognitionem confitentes, re autem ipsa negantes: id igitur dictum isti peruertentes trahunt ad pharisaicam quandam superstitionem, & in consentaneam cum catholica doctrina Ecclesiæ Christi doctrinā confingentes cogitationibus suis, ita deinde bellum aduersus recte sentientes suscipiunt, cum sit minus idonea simplicitas veritatis ad quæstum. Assumunt autem ad disputationem hanc isti inprimis dictum ex epistola Iacobi, Quod fides absque operibus mortua sit. Quæ

sane vt

sane vt contra eos qui efferuntur inani ociosæ fidei nomine, forma refutationis dicta, ita se habent, vt culpari omnino nequeant: per se autem in contradicendo & litigiose prolata, argumentum possint suppeditare contentiosis, dogmatis Christo contrarij de operibus. Atque solet in contradicendo semper vsu venire, vt dimicantes & id obtinere quod posuerint volentes, contendant in contrarium de re proposita, neque magis medium respiciant. Quod autem Iacobus verba fecerit de rectæ fidei significationibus & efficacia, ex eo fit manifestum quod ait: Ostende mihi fidem tuam ex operibus, & ego ostendam tibi meam fidem ex operibus. Idem *& translatione comparationis declaratur. Mortua enim inquit fides est expers operum, sicut vacuum spiritu corpus mortuum est, id est nihil operans fides, ne fides quidem fuerit. Quemadmodum corpus, vbi anima discessit, non dicitur reuera homo, sed similitudine nominis.* Ratiocinando *igitur Iacobus colligit: In sanctis fidem neutiquam esse ociosam aut pigram. Ac sicubi talis quæpiam deprehendatur, eam ne fidem quidem appellandam, nisi similitudine nominis.* Vt *si quis dicat,* Fidem *intelligi simpliciter eam quæ efficax sit, quemadmodum mortuum corpus non simpliciter humanum corpus, sed quodammodo, hoc est*

priuatum anima. Non dico autem vt anima principatum habet vitæ, sic opera fidem quasi informare, sed quod neque corpus sit aut vere dicatur, quod anima caret, neque fides, quæ eſt infructuoſa & iners. Secundum hæc & Chryſoſtomus explicauit locum in epiſtola ad Galatas: Fides quæ per caritatem efficax eſt. Non ſatis eſt, inquit, Credere CHRISTO, *ſed efficacem reddi & conſeruari, & veluti ignem ſuſcitari per caritatem in Chriſtum. Quæ quidem contra eos qui non recte ſentiunt de fide, dicta ſunt præclare. Ad eos vero qui religioſi ſunt & timent Deum, conueniens eſt id quod à Chriſto dicitur archiſynagogo: Ne time, ſolummodo crede. Atque iſta doctrinæ ſanæ explicatio euidens eſt atque ſimplex. Si quis autem contentioſus eſt, is ſciat, Regnum Dei non eſſe in ſermone ſed virtute. Et Chriſtum veniſſe, vt peccatores ſaluos faceret. Et diſcedat à vitio, quicunque facit iniquitatem, & reſipiſcat atque credat Euangelio.*

DE SIGNIFICATIONE VOCAbuli cum nominatur Fides.

Diſſenſionis aũt hac in parte cauſſa eſt & hæc, quod ſignificatio dictionis non diſtinguatur. Quapropter ſciendum, Fidem in ſacra ſcriptura ſignificare interdum cognitionem hiſtoricam, & dogmaticam,

gmaticam, ipsa iam est assensio præiudicij expers animi religiosi & credentis verbo Dei. Et aliquando ea quæ memorantur, & expositio credendorum hoc nomine indicatur. Vt cum Theologus ait, Si omnes imitarentur quietis studium, quod in ipso esset, non futurum vt fides distraheretur & esset armatura cuique contentionum suarum. Et Epiphanius appellat Arij attonitam fidem, ac potius incredulitatem & malam fidem. Perspicue enim hoc loco verbi sensus demonstrare vult expositionem credendorum, dissimilem catholicæ veritati & rectæ sententiæ atque dissonantem, & discrepantem atq; variam perscriptione. Sic & Acacius quondam cum nouam editionem fidei conscripsisset & legisset, quemadmodum narrauit Socrates libro secundo, dixit Sophronius Pompeiopolita: Si expositio est fidei, cotidie exponere propriam voluntatem, deficiet nos exquisita veritas. Atque non modo perscriptionem & doctrinam de fide nomen hoc significat, sed vitam quæ degatur secundum fidem, & huius quasi statum, vt in hoc dicto: Operemini bonum erga omnes, præcipue vero erga familiares fidei. Sic consueuimus scilicet & Euangelij nomine loquendo indicare, tam scripta Euangelicæ historiæ & doctrinæ, quam ipsius vitæ statum atque modum. Et hoc quidem significatum vnum est huius dictionis. Alterum est benigni

nigni doni, quod indicat ardentem & mirabilium operum effectricem Fidem. Ut cum Paulus scribit Corinthijs: Alij per ipsum spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo cognitionis secundum eundem Spiritum, alij vero fides in eodem Spiritu. Hic enim non communem (quemadmodum Paulus vocat scribens Tito) Fidem, sed donum fauoris speciale fidei dicit. Et rursum: Si habeam vniuersam fidem, vt montes quoq; transferam. De quo dono fauoris & Dominus: Si habueritis, inquit, fidem instar grani Sinapis. Tertium significatum vocabuli est, de quo nunc potissimum verba fiunt, fiduciæ in filiũ Dei Dominũ nostrum Iesum Christum, secundũ quod iusticia applicatur fide. Quod sola hæc capax sit fauoris seu gratiæ, et misericordiæ Dei propter Christum, in quo habemus libertatem & accessionem in fiducia quæ est per fidem ipsius. Neq; interea apparet hic dignitas quæpiam propriæ cogitationis aut qualitatis animæ, aut habitus rationis, sed omnino solius misericordis Dei, iustificantis impios propter Christũ, Fides diuinum donũ prædicati Euangelij tãquam organum & accipit sola, & conciliat credenti. Et sic dicitur: Credere in Christũ, Et: Fides in Christum. Et: Quicquid non ex fide, peccatum est. Atq; hoc sane significatum nemo fere ignorat, qui paululũ modo peritus est linguæ Græcæ. Ipsum vero opus, vt Paulus nominat, quod Dei est opus, & in nobis ca-

bis caritate & benignitate ipsius perficitur, mens neutiquam perspexerit profana, siue contemnentium, seu hostium etiam veritatis, sed eorum, qui subijciuntur Deo, & obœdiunt Euangelio, & expectant promissionem regni Dei. Istam fidem firmam esse & immotam, & hærere sine dubitatione in promissione, & semper luctari atque pugnare oportet cum cogitationibus & dubitatione. Quæ quidem tentatio est eorum qui habent modicam fidem, reprahensam à Christo increpante Petrum & dicente: Tu cum modica fide, quare hæsitasti? Debemus itaq; sine intermissione orare: Ne deficiat fides nostra, ac potius vt apponatur etiam nobis aucta. Præceptio autem de hæsitatione fugienda est, *vt pestis nocens præconio, et venenum inficians dogma viuificæ veritatis.*

DE VERBO IVSTIFICARI.

Diximus fide nos iustificari. Iustificari autem intelligendum est, statui esse iustos, Deo imputante nobis credentibus iustitiam. Hæc igitur est sententia Dei pronuncians nos iustos, id est acceptos & gratos ipsi, non ob dignitatem seu meritum operum nostrorum, sed propter Christum, qui factus est mediator & reconciliator & pacis effector, in quo credimus, seu quo sumus freti. Hic enim qui est filius Dei & expers omnis iniquitatis, traditus est pro nobis tanquam iniustus,

cum nullum peccatum vnquam fecerit. Et mortuus est pro peccatis iustus pro iniustis, mortificatus carne & viuificatus spiritu, vt inquit sanctus Petrus. In hoc ergo & propter hunc iusti & puri cognoscuntur liberati condemnatione debita peccato, cuncti qui gratiam hanc & istud donum accipiunt Fide. Generaliter enim prolatum est, & ad omnes peruenit promissio, quemadmodum & ante notauimus. Iussit quippe Christus præconium Euangelij fieri ad vniuersam creaturam, & doceri omnes gentes. Et hæc est, inquit, Voluntas patris, vt omnis videns filium habeat vitam æternam, & ego faciam vt resurgat illa extrema die. Ipsa igitur fidei iusticia complectitur peccatorum remissionem, & vt habeant propitium Deum resipiscentes & credentes in CHRISTVM, *qui adoptantur filij secundum beneplacitum voluntatis eius ad laudem gloriæ atque gratiæ ipsius, qua gratificauit nos in dilecto, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem delictorum secundum diuitias Gratiæ eius, secundum illa quæ sunt in epistola missa Ephesiis. His etiam spiritus sanctus suppeditatur. Inquit enim Christus: Pater dabit sanctum Spiritum petentibus. Et Paulus ait: Fideles templum esse spiritus sancti, ipsiusq; est renouatio & sanctificatio & consolatio in ecclesia, quemadmodũ rursum quoq; dicetur.*

DE NO-

DE NOMINE GRATIAE.

Gratiam autem nominantes, semper intelligemus, donum esse & non debitum, caritatem Dei qua dilexit nos adhuc hostes suos. Qui enim eramus peccatores Deo reconciliati sumus morte filij ipsius. Itaque semper oportet cogitationem referri ad separationem & abdicationem operum & dignitatis seu meriti nostri, & exterminationem nostræ perfectionis. Secundum id quod scriptum est, vt ante quoque exposuimus ad Ephesios: Gratia estis saluati per fidem. Idq; non ex vobis, Dei donum hoc est, non ex operibus, ne quis glorietur. Atque id ipsum neque aliud quicquam ostenditur, cum dicimus: Sola fide nos iustificari. Non enim certe desolatam & desertam, in qua nihil honesti & boni sit fidem commendamus, sed constituimus veritatis æternæ salutare dogma: Quod sola fide & nullo alio habitu, nulla facultate, nullo conatu accipiatur donum Dei, iusticia in remissione peccatorum propter CHRISTVM IESVM. *Non est autem hæc verborum subtilitas, sed cognitio necessaria veritatis ad salutem nostram, & illud fundamentum supra quod in Ecclesia omnia sunt extructa. Fundamentum enim aliud potest iacere nemo præter id quod est iactum, qui est* IESVS CHRISTVS, *quemadmodum Paulus scri-*

psit Corinthijs. Et fundamenti huius demonstratio fundamentum habet Propheticam & Apostolicam doctrinam, supra quo extructæ nos gentes sumus, ipse autem est anguli summus lapis Iesus Christus, vt scripsit S. Paulus Ephesiis. Et in hac sane fide stare oportet omnes pios certo & immote, etsi vt æque sint cuncti robusti atq; firmi, res non fert. Complectitur igitur ac fouet ecclesia etiam imbecillos fide, & qui interdum in periculum veniunt ne deficiantur animo in tentationibus. Ipsa quidem infidelitas malum horribile & exitiosum, penitus aduersaria est Dei, cum sit superbia & despicientia in negligentia extrema & cognoscendi Deum & seruiendi ipsi in veritate ac iusticia. Sed fides modica seu exigua, infirmitas quædam cum sit fidei, patet quod morbus fidelium merito appellari possit, qui & conturbantur & decertant illi quidem cum perfecta infidelitate, adhuc deficiuntur autem et laborant, neque dum omnino illam pestem vincunt. Atque tales magis exagitati metu quam bona spe nitentes, accurrunt quandoq; ad Christum, eumq; excitant. Haud sane laudem habentes, ac crimen potius, idq; maximum, quod non credant: Saluantur tamen & consequuntur misericordiam, & æquo animo fert miserator Deus imbecillitatem eorum, siquidem, secundum S. Paulum semper eorum quæ à tergo sunt obliuiscentes, & quæ ante ipsos sunt

ad ea

ad ea contendentes, ita secundum signum propositum persequendo petant præmium supernæ vocationis Dei in CHRISTO IESV.

QVOD STVDIOSOS ACTIONUM virtutis oporteat esse fideles.

Quod itaque liberati per Christum à lege, credentes & iusti sint fide in Christum, iam antea dictum est. Qui vero de his aliter sentiunt ac docent, ij vel sciētes calumniantur bene dicta, aut errant ipsi quidem, sed admoniti in viam redire nolunt, vt perueniant ad veritatem. Iam etiam aliqui caussam quærentes abutendi libertate ad occasionem carnis, ita ijs quæ bene dicta sunt animum non aduertunt. Vnde iam accidit vt doctrinæ huic maledicatur, quasi talis sit quæ euertat & prohibeat vtilitatem bonorum operum, & accommodetur populariter ad vulgus, quod omnes fere ad remissionem & desidiam declinent, & fugiant virtutum labores & exercitationes. Minime vero se res ad hunc modum habet. Non enim prædicamus fidem quandam futilem & ociosam, sed vel admodum generosam laboriosamq;. Norunt itaque ij qui crediderunt, quod renouati, & facti iam creatura noua, debitores sint voluntati Dei, quiq; non necessitate & formidine pœnarum quæ peccatis proposi-

propositæ sunt in lege inuiti peragant ea quæ iusta sunt, sed libentes cum odio malorum, tum amore bonorum operum: vt obœdiant, & sequantur ipsi obtemperando in omnibus diuinam æternamq; & immutabilem legem, & fugiant omnibus viribus opera carnis lege prohibita, & carne cum prauis affectionibus & cupiditatibus affixa cruci, exequantur Deo placentia, producentes fructum spiritus. Sane docet hoc Euangelica parabola liquidissime, de infructosa ficu. Et Baptista ait: Quæcunque arbor fructum non fert, ea exciditur & conijcitur in ignem. Et sanctus Paulus cum in diuersis locis splendide explicat idem, tum vero in epistola ad Ephesios, sic scribens: Hoc igitur dico atque testor in Domino, Ne posthac ambuletis sicut cæteræ gentes ambulant in vanitate mentis suæ, & cætera. Et ante hæc: Dei, inquit, sumus opus conditi in Christo super operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in ijs ambulemus. Petrus vero memorat ea quæ esse debeant in credentibus seu fidelibus, & quod illa præsentia & abundantia, non constituant ociosos & nihil agentes ad cognitionem Domini nostri IESV CHRISTI. *In quo enim, inquit, non sunt ista, is est cæcus, obductis oculis caligine, oblitus purgationis veterum peccatorum. Et addit: Quapropter, fratres, studete potius efficere firmam vocationem & electionem vestram.*

ſtram. Et Paulus rurſum ad Titum: Apparuit Gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, ſobrie ſeu temperanter, & iuſte & pie viuamus in præſente ſæculo, expectantes beatam ſpem & apparitionem gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri IESV CHRISTI, *qui dedit ſeipſum pro nobis, vt liberaret nos ab omni iniquitate, & perpurgaret ſibi populum eximium æmulantem bona opera. Vbi inſiſtere forte liceat alicui & perdiſcere, quod bona opera quæ efficiuntur à religioſis & pijs, dignantur compenſatione & retributione diuinitus.* Idque erat nimirum *ſummæ bonitatis, quemadmodum alicubi Theologus ait, facere vt bonum eſſet noſtrum quoque, non in natura modo inſitum, ſed quod voluntate & propoſito etiam coleretur. Atque hoc modo per certamen & luctam cum inferioribus, hæredes fiunt fideles ſupernæ gloriæ, & ſunt exemplum iuſti iudicij Dei, vt dignentur ipſi regno Dei pro quo & patiuntur, vt dictum eſt in ſecunda ad Theſſalonicenſes. Vt iam & meritum & merces cohæreant cum bonis operibus fidelium, vtq; præmium fiant virtutis ea, quæ gratia Dei largitur repoſita apud ipſum, in ſpe fidei, quocunque ſane modo aliquis affligatur, modo illa anxietas & hic labor vt à Chriſtiano ſuſcipiatur.* Eſtq; *adeo his conſequens,*

quod

quod violantes legem excidant Gratia & amittant Spiritum sanctum. Quandoquidem quicunque non faciunt quod debent libenter, ij à fide alienantur. Sic enim scripsit Timotheo Apostolus Paulus: Si quis autem suis & maxime fidei familiaribus non prospicit, is fidem negauit, & est deterior infideli. Si vero filij Dei fiunt credentes in nomen filij, qui peccatum autem facit, ex diabolo est, sequitur scilicet, facientes malum non esse amplius eos, qui filij Dei iudicentur. Non manent igitur in fide. Nam qui ex Deo sunt, audiunt verba Dei. Verbum autem splendide est prolatum à magnifica gloria, vt ait sanctus Petrus: Hic est filius meus dilectus, in quem tendit beneplacitum meum. Et additur præceptum apud Matthæum: Hunc audite. Scribit autem Timotheo Apostolus Paulus hæc: Habens fidem & bonam conscientiam, qua aliqui abiecta naufragium fecerunt fidei.

De libero arbitrio.

NON *esse igitur expertem actionum neque desidiosam fidem Christianorum, & diuinæ legis operibus bonis occupari, non aliorum propriæ electionis perfectricem virtutem tanquam maio-*

maiorum & diuinorum studiorum, quæ illa exequatur: iam dictum est. Quia vero, nunquid homines possint efficere ea quæ lex diuina præcipit, & quomodo possint, à quibusdam disputatur, conamini iam vos, Pueri, de expositis respondere ad interrogationes de istis.

PVERI.

Interroga sane.

CATECH.

Nunquid valemus perfecte obœdire præceptis legis diuinæ, & ea efficere?

PVERI.

Non valemus.

CATECH.

Quapropter? An non cernitis multos quotidie in templis volutari, & placide sua agere, molestos nemini, legumq; edictis modeste obœdientes. De *virtute autem veterum quæ prodita sint non ignoratis, vt de Iustitia, Temperantia, Continentia & Patientia Aristidæ, Socratis, Phocionis, vt verbi caussa paucorum faciamus mentionem.*

PVERI.

PVERI.

Quia tu dixisti: Requiri à lege obœdientiam integram & elaborationem perfectam voluntatis diuinæ, vt aliquis eo quod præcipitur intellecto, illud statim efficiat, ad nihil respiciens aliud quam voluntatem diuinam, & vt pareat verbo ipsius, intelligens quid agat, & simul volens atque elaborans agenda. Hoc autem aiebas in ista nostra corrupta natura humanis viribus nullo modo fieri posse, dicebasq; de his plura etiam te esse commemoraturum.

CATECHETA.

Iam igitur est dictum, Quod Dei filius Christus Iesus solus explicator sit rerum diuinarum, quodq; ab ipso edocti ita & nouerimus Deum & sequamur voluntatem eius, placente qualicunq; obœdientia & studio Deo propter Christum, in quem credidimus.

PVERI.

Meminimus horum, verum dilecte magister, qui fit vt quidam asseuerans se legitima seruasse omnia, amore quidem comprahenditur à Christo, sed nihilo secius ab eo secedit.

CATE-

CATECH.

Quæstionis huius solutionem commemorastis ipsi.

PVERI.

Quo pacto?

CATECH.

Quia secessisse hunc à Christo dixistis. Non *seruauit igitur præcepta perfecte, sed abstinendo turpibus egit ille quidem fortasse vitam inter homines sine crimine, sed non spectauit finem,* qui erat, vt obœdiret verbo Dei. *Amabatur igitur ob simplicitatem ingenij, vt videtur, secessit autem cum inobœdientia abstraheret ipsum. Quomodo enim hic qui affirmat omnia enumerata se seruasse, non decepit seipsum (Christum enim certe minime) suspicatus se mandata seruasse, neglecto eo in quo esset principatus omnium mandatorum? Hoc erat illud, respiciens ad honorem & obœdientiam, & piam religionem numinis diuini, & caritatis ex tota anima & corde & cogitatione, quod fertur inprimis. Instituere igitur illum Dominus volens, & adducere ad veram obseruationem lege sancitorum, iubet eum sequi se, neque quicquam facere pluris quam vt obtemperet imperio verbi Dei.*

Q *At ille*

At ille auersatur & discedit cum tristicia. Atque plane declaratum tunc fuit, quod magis iste mandatorum effectiones simulasset ostentando, quam seruando elaborasset. Vnde intelligere poterimus, Quod edicta legum existiment se intelligere & efficere posse homines, cum fallantur aggrediendo. Lex enim est spiritualis, nos autem carnales sumus, habentes animum carne amictum. Sensus autem carnis (quæ est elata cogitatio) legi Dei non subijcitur, non enim potest. Et animalis homo (quæ est anima humana) non admittit ea quæ sunt spiritus Dei. Opus igitur est nobis eo qui efficiat, vt sufficere possimus compræhensioni & executioni præceptorum diuinorum. Hic est sermo Dei, & ineffabilis Gratia, quæ donauit nobis in sancta fide tam cognitionem Dei quam studium obœdiendi cunctis quæ præcepit Deus, & vt abundemus ad omne opus bonum. Quod autem motibus liberi arbitrij in vtramque partem, ad bona inquam & mala, propria voluntate impellamur, ex eo patet, quod propositum atque consilium vnus sit ex motibus animi, qui deliberando ea quæ sunt penes nos, præferens iudicio suo vnum alteri, ita sumit seu eligit, vnde & nomen illi factum. Quemadmodum autem Deus reliquam naturam vniuersam conseruat, vt sit & maneat qualis est, vt ocu-

vt oculorum, & ratiocinationum, sic'ne propositi quidem atque consilij deserit. Nam neque cæcitas esse visio possit, neque præditum ratione id quod est rationis expers. Patet autem quod propositum sit inter naturales vires sicut visio. Concludi igitur ex his possit, quod arbitrij impetus sit sui iuris, & propriæ potestatis, in ijs quæ consulto fiunt. Cum autem sciamus, quæ naturæ non modo imbecillitas & ægritudo, sed labes quoque ac corruptela à peccato inflicta sit, vnde & secundum diuinum oraculum, incumbit cogitatio hominis ad mala à iuuentute: Cautius aliquanto nobis de illo iure & ista potestate differendum est, & non superbiendum de nostra tali natura, magis Philosophice quam Theologice de his disputando. Quamuis enim secundum peculiare temperamentum naturæ, vnus altero existat cum moribus melioribus seu grauioribus, atque hic magis ad iustitiam, ille ad temperantiam, & alius ad aliam virtutem, vel plures quoque, idoneus, est tamen recti seu perfecti laus dubia atq; fallax, Et cum bono vno damna iunguntur bina, secundum Pindarum, id est, Vbi virtus vna ibi vitia assunt duo. Nam hoc etiam extranei sapientes perspexerunt, producentes autorem quendam læsæ mentis dæmonem efficientem peccatorum, & propter maleficia appellantes

Noxam, noceat quia cunctis. Et *Lyricus dicit alicubi, Prometheum inseruisse virtutem & gaudia hominibus, superuenire tamen obliuionis nubem improuisam, & detorquere rerum viam rectam extra intelligentiam. Atque huius mali stirpem cum veteres sapientes professores humanæ sapientiæ deprehendere non possent, flatu quodam superstitionis impleuerunt omnia, & tradiderunt Deos esse interdum nocentes, & deceptores, finxeruntq́; dæmonas quosdam obscœnos, & supra omnia, quasi colophonem imposuerunt, fatalem vim, secundum Sophoclem, destinatorum euentuum vnicuiq;, cuius ea pars est quam ne Deus quidem ullis machinis effugere posset, secundum oraculum Delphicum apud Herodotum. Quæ omnia sunt mendacia exitiosa, & error impius in ijs qui intereunt. Non recte autem posteritas olim audiuit patres, & de Deo creatore hominis cum recta sententia, & sui iuris suæq́; potestatis, & de serpente diabolico, qui per inobœdientiam cogitationem à creatore auertisset, deq́; peccato tenente captiuum hominem ad mortem vsque, cuius pœnam persolueret: De his igitur doctrinam & veram traditionem, cum plærique audiissent illi quidem, sed non curassent, neque considerarent dicta, præbuerunt alteram impressionis occasionem Diabolo, vt subducerentur compendiosè in efficacitate erroris, ad*

ris, ad credendum mendacio, eo quod ad cognoscendam veritatem negligenter & improuide se gessissent. Collocatus enim fuit primus homo in suo iure & potestate propria, tanquam in medio boni & mali, vt esset penes ipsum sumere eligendo vtrum vellet, cum deflexisset autem eo vt non auscultaret legi diuinæ, execratione ei diuinitus inflicta, non modo non seruauit integrum ius suum & potestatem propriam, sed contrariam etiam expeditionem mali, quæ & seruitutem aduersus illam potestatem adduceret, insuper acquisiuit, cum iam subijsset peccatum, & insideret, & collocasset statum suum in carne, quemadmodum fucus in apium fauis. Itaque quamuis de solis viribus naturalibus & efficacitatibus verba faciamus, inuenitur arbitrium seu voluntas in animo, quemadmodum diximus, vt laudem habeant honestæ, vituperationem vero turpes actiones, & sit, quemadmodum & Plato alicubi inquit, culpa sumentis, Deus autem culpa careat. Illud vero ius suum & potestas propria, perquam in angustum coacta est, cum propter in nobis habitans peccatum, tum ob insidias & vim diaboli, & relinquitur de hoc ostentationi nullus locus, & pudore potius affici aliquis debeat, atque humiliari quam superbe & gloriose se gerere propter suæ voluntatis potestatem, & naturam ducem ad omnes virtu-

tes, quam sequens, secundum Philosophos Stoicos, rectum officium vbique præstare possit. Atque loquimur adhuc de ijs quæ euidenter naturalia sunt. Verum veritatis diuinæ noticia, & via ad illam, &, simul omnia vt dicantur, Gratiæ donum quod tribuitur ad salutem in fide Saluatoris C H R I S T I, *neque cogitatione humana vlla peruestigari, neque ratione compræhendi, neque elaborari animi propensione possit, estque institutio ista celestis non terrena, & spiritualis non carnalis, vt omnes quibus illa contigit, doctrina præditi sint diuina, & nati denuo. Non enim potest, inquit Baptista, Homo accipere quicquam nisi sit ei datum* de celo. *Quapropter & Paulus vbique viuificam veritatis cognitionem mysterium vocat. Traditam illam quidem primum patribus & conciliatam populo Hebraico, completo autem tempore secundum beneplacitum & consilium Dei, præconio perlatam ad omnes gentes. Hoc est Euangelium Christi de remissione peccatorum secundum diuitias gratiæ ipsius, secundum ea quæ ad Ephesios scripta sunt. Ipsa est diuina prudentia atq; sapientia, quam audientes & admittentes cognoscunt Deum interprete Sermone* D E I, *& credentes conseruantur ad laudem gloriæ ipsius, præcedente spe in* C H R I S T V M, *id est, reperti fideles Deo. Et ad hos pertinet & propositum & prædestina-*

destinatio et electio. Crediderũt enim, inquit Lucas in actis, quotquot erant ordinati ad uitam æternã. Nemo enim saluari possit per fidem in Christum (sine qua salutis spes nulla relinquitur) absque diuina gratia, & non prius adueniente Spiritu sancto vna cum verbo diuino. Nam bonum hoc generale est & Fides communis, & in omnem terram exiuit sonus eorum. Donum autem gratiæ offertur verbo Dei, & accipitur sola fide. Audientes enim verbum & admittentes instinctum diuinum, quiq; non repellunt Gratiam quæ offertur, ij ordinati sunt ad vitam, cæteri non dignantur vita suo ipsorum iudicio, & deferuntur sponte sua seu proprio arbitrio *in interitum. Vt quod de ordinatione, & prædestinatione dicitur, id intelligendum sit secundum consequentiam propriæ cuiusq; fidei aut diffidentiæ. Nam credentes verbo (quod est præconium Euangelij) ordinati sunt ad vitam, non credentes vero, non sunt. Quod si cui adhuc placet curiosius & accuratius ista perquiri, is sciat tractationem suscipi rei non carentis periculo, in exercenda sapientia de ijs quæ sunt supra nos, & vestigando occulta, cum posita sint in medio necessaria, & cognitioni exposita, quorum meditationi ne longissimæ quidem vitæ tempus suffecerit. Nos igitur, præsertim in Catechefeos tractatu, rectum fuerit repẽtes humi in humilitate (quæ animi est demissio)*

discere ea quæ decet, quæq; ad honorem venerationemq; Dei & nostram salutem tendunt, vt vnusquisque adoptionis spem habens in Deo, sanctificet seipsum, vt ait Apostolus Iohannes. Neque est laudandum, connectere hoc loco non congruentia, implicando aliquid seu de libero arbitrio seu de potestate propria. Hoc autem cum pium ac religiosum tum salutare fuerit opus: Fide semper procedere longius, & bonis laudatisq; operibus omniq; virtute eminere, sicut æquum est sanctos, qui exuto vetere homine & induto nouo, cum Christo mortui sunt peccato, & resuscitati iustitiæ. Non enim iam *locus quæstioni : An* opera danda *actionibus* honestis? *& quomodo? Sed incumbendum est in exercitationem atque meditationem in subijciendo & premendo & redigendo ad seruitutem corpore, & suppeditando in fide virtutem, secundum sanctum Petrum, in virtute vero cognitionem, in cognitione contientiam, in continentia vero perseuerantiam, in perseuerantia vero religiosam pietatem, in pietate vero studium erga fratres, in hoc vero studio caritatem.*

DE EO ETIAM QVOD FIDEM *oporteat esse expertem præiudicij & sine dubitatione.*

Quia

Quia autem dictum est, fidem Christianorum velle esse expertem dubitationis, & firmam, & dubitationes pertinere ad diffidentiam, diffidentiam vero solam constituere perfectam impietatem: Quærere fortasse possit aliquis: Quomodo consonet his præceptum Apostolicum, iubens cum timore & tremore propriam salutem elaborare pios. Et huic similia: quod hæc omnino participare videantur dubitationem quandam, aut cogitationum disputationem aut disceptationem seu hæsitationem. Ad hæc dicendum est: Quod fides, quæ secundum apostolicum præconium, est in fiducia & plena persuasione, nunquam possit esse ea quæ admittat diffidentiam, & sententiam quæ neque stabilis sit & conturbetur. Neq; sunt hæc illis contraria, quomodo enim possint esse? quandoquidem ambo sunt oracula diuina. Quid igitur sibi illud dictum vult? Nimirum moderatione nos instruere, neque pati extolli animis & efferri cogitationibus, sed semper timere Deum venerantes & diligentes. Non præcipitur enim certe Timor auersans atq; fugiens numen diuinum, sed venerans in religioso metu, vt scimus, quo affectio existat non qualis est seruorum erga Dominos, sed qualis liberorum erga parentes. Estque planum ac facile cognitu volenti id quod dicitur. Nam quod volumus esse fidem firmam, & expertem am-

biguitatis fiduciam, non ideo securitatem aut etiam contemtum & negligentiam laudamus. Scientes Deum inprimis odisse pœnitentiæ omissionem & incuriam in hominibus, quæ est caussa quoque omnis diffidentiæ ac prauitatis: & velle eum nos vigilare & inuocare se precantes & supplicantes & expectantes auxilium misericordiæ, fiducia quidem firma concepta, & fide sine hæsitatione præstita super ipso, nec non certamen infinitum in hac vita certantes, dimicando semper cum dubitatione & luctando cum cogitationum disputatione, quemadmodum & prius alicubi diximus.

Expositio symbolorum sanctæ fidei.

RELIQVVM *nunc fuerit enumerari sanctæ fidei nostræ capita. Atque hæc memoriter recitari piorum fuerit puerorum opus.*

CATECH.

Pronuntiet iam aliquis id symbolum quod Apostolorum appellatur.

PVER.

Credo in vnum DEVM PATREM *omnipotentem*

potentem factorem celi & terræ. Et in IESVM CHRISTVM *filium ipsius vnigenitum Dominum nostrum, conceptum ex Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum & sepultum. Qui descendit ad inferos & resurrexit tertio die ex mortuis, & ascendit in celos, & sedet è dextris patris, vnde veniet iudicare viuos & mortuos. Credo in* SPIRITVM *sanctum: Sanctam ecclesiam catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Resurrectionem carnis, & post hanc vitam, vitam æternam.*

CATECH.

Ista sane capita numero duodecim simpliciter hoc modo exposita, Apostolis duodecim sunt singilatim applicata. Vt Petri sit hoc: Credo in Deum patrem omnipotentem, & cæterorum cætera. Tanquam hi, antequam mandato Christi digrediendo separarentur, concorde sententia capitibus istis doctrinæ summam cõprehenderint & distinxerint. Sane esse hæc capita Christianæ et apostolicæ doctrinæ, patet: de compositione vero & ijs qui condiderint, ita se res habeat, quemadmodum habet. Nihil enim legi de hoc fide dignum traditum, neque inueni hoc symbolum istis verbis editum, apud Græcos saltem. Ac suspicari aliquis possit illam apud Epiphanium tanq̃ Marcelli expositionẽ, sic ab

sic ab aliis concinnatam fuisse. Primum autem, quantum ego scio, extat in synodo Nicæna propter Arianam rerum nouarum molitionem conscriptum & editum symbolum hoc.

CREDIMVS in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem celi & terræ, visibilium & inuisibilium. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, filium Dei vnigenitum, qui ex patre natus est ante omnia sæcula: Hoc est ex *substantia seu essentia patris, lumen ex lumine, Deus verus ex Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem seu coëssentialem patri, per quem omnia facta sunt, seu extiterunt, tam quæ in celis, quam quæ in terra sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de celis, & incarnatus est ex Spiritu sancto, & Maria virgine, & homo factus est, crucifixus que pro nobis præside Pontio Pilato, & passus & sepultus, & resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in celos, & sedet è dextris patris. Et rursum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuificum, qui egreditur è patre, qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. In vnam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum.*

Expe-

Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi, Amen. Basilius vero breuius sic: CREDIMVS in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM filium Dei, genitum ex patre, vnigenitum, hoc est ex substantia patris. Deum ex Deo, Lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt tam in celo quam terra, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & carnem assumsit, homo factus, passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit in celos, venturus est iudicatum viuentes & mortuos. Et in SPIRITVM SANCTVM, &c. Postea vero proferente se hæresi etiam oppugnante SPIRITVM SANCTVM, definita quoque doctrina de SPIRITV SANCTO, & alijs etiam in partibus propter alias enatas hæreses accuratius confessio hæc explicata fuit. Et placuit, inquit Epiphanius, accedentes ad diuinum regenerationis lauacrum, enunciare & dicere sic: CREDIMVS in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM filium Dei, Genitum ex Deo patre, vnigenitum, hoc est ex essentia patris, Deum ex Deo, lumen

ex lu

ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in celo, & quæ in terra sunt, visibilia & inuisibilia. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, id est natus perfecte ex sancta Maria semperuirgine per SPIRITUM SANCTUM, *& homo factus est, id est qui perfectum hominem assumsit, animam & corpus & mentem, & omnia siquid est homo, præter peccatum. Non ab hominis semine, neque in homine, sed in seipsum carne conflata in vnam sanctam vnitatem.* Non *quemadmodum in Prophetis inspirauit & locutus est & efficax fuit, sed qui perfecte homo factus est. Nam verbum caro factum est, non sustinens mutationem neque mutata diuinitate ipsius in humanitatem, qui in vnam suam vniuit sanctam perfectionem & diuinitatem. Vnus est enim Dominus* IESUS CHRISTUS, *& non duo. Idem Deus, idem Dominus, idem Rex. Qui idem passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in celos ipso corpore in gloria, vt iudicet viuentes & mortuos. Cuius regni non erit finis. Etiam in sanctum* SPIRITUM *credimus, qui locutus est in lege, & præconium fecit in Prophetis, & descendit ad Iordanem, loquens in Apostolis, habitans in sanctis.* Sic *autem credimus in ipso:*

Quod

Quod sit SPIRITVS *sanctus*, SPIRITVS *Dei, Spiritus perfectus, Spiritus consolator seu aduocatus, Non creatus, ex patre egrediens, & qui accipitur ex filio. Etiam credimus in vnam Catholicam & apostolicam ecclesiam. Et in vnum baptisma pœnitentiæ, & in resurrectionem mortuorum, & iudicium iustarum animarum & corporum, & in regnum celorum, & in vitam sempiternam. Extat & Athanasij symbolum quod antiqua quadam consuetudine in ecclesiasticis conuentibus mutuo carmine accinitur, Istud:* QVICVNQVE *vult saluus fieri, ante omnia oportet vt seruet Catholicam fidem.* QVAM *nisi vnusquisque integram & illabefactatam seruauerit, sine dubio in æternum peribit.* FIDES *autem catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate veneremur.* NEQVE *confundentes personas, neque substantiam diuidentes.* ALIA *est enim persona patris, alij filij, alia* SPIRITVS SANCTI. SED *patris & filij & spiritus sancti, vna est Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.* QVALIS *pater talis filius, talis & spiritus sanctus.* VERVM *non tres æterni, sed vnus æternus.* QVEMADMODVM *neque tres incompræhensi, neque tres increati, sed vnus increatus & vnus incompræhensus.* SIMILITER *omnipotens*

pater,

pater, omnipotens etiam filius, omnipotens etiam Spiritus sanctus. VERVM *non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Sic Deus pater, Deus filius, Deus etiam Spiritus sanctus.* VERVM *non tres Dei, sed vnus Deus.* SIMILITER *Dominus pater, Dominus Filius, Dominus etiam Spiritus sanctus.* VERVM *non tres Domini, sed vnus est Dominus.* QVIA *vt propriam vnam cuiusque personam Deum & Dominum confiteri Christiana veritate cogimur: Sic tres Deos aut Dominos dicere, catholica pietate prohibemur.* PATER *à nullo est factus, non creatus, neque genitus.* FILIVS *à patre solo est non factus, non creatus, sed genitus.* SPIRITVS *sanctus à patre & filio non factus, non creatus, sed egrediens.* VNVS *igitur pater non tres patres. Vnus filius, non tres filij. Vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.* ATQVE *in ista trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed integræ illæ tres personæ & coæternæ sunt sibijpsis & æquales per omnia, quemadmodum dictum est. Et vnitatem in trinitate venerari oportet, & trinitatem in vnitate.* QVI *igitur vult saluus fieri, is ita de trinitate sentiat.* VERVM *ad æternam salutem necessarium est, vt & incarnationem Domini nostri Iesu Christi adhuc recte credamus.* EST *enim fides recta, vt credamus & confiteamur*

teamur, quod Dominus noster Iesus Christus filius Dei, Deus & homo sit. DEVS ex substantia patris ante sæcula genitus, & homo ex substantia matris in hoc sæculo natus. PERFECTVS Deus & perfectus homo, ex anima ratione prædita & humana carne subsistens, seu persona vna. ÆQVALIS patri secundum Deitatem, minor patre secundum humanitatem. QVI etsi Deus & homo est, non duo tamen sed vnus est CHRISTVS. VNVS autem non conuersione Deitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum. VNVS omnino non confusione essentiæ, sed vnitate personæ. ETENIM vt anima ratione prædita & caro vnus est homo, sic etiam Deus homo vnus est CHRISTVS. QVI passus est propter salutem nostram, descendit ad inferos, resurrexit tertia die ex mortuis. ASCENDIT in celos, sedet è dextris patris & Dei omnipotentis. VNDE veniet vt iudicet viuentes & mortuos. CVIVS aduentu omnes homines resurgent cum corporibus suis, & de proprijs operibus dicent caussam. Et qui bona egerunt ibunt in æternam vitam, qui vero mala, in ignem æternum. Ista est Catholica fides, quam nisi quis fideliter crediderit, saluus fieri non poterit. Hæ ipsæ quædam explicationes sunt summæ capitum à prioribus expositorum, postulante vsu accuratam rectæ sententiæ explanationem,

propter vanas hæreticorum disputationes. Apparet autem, quibusdam substantiæ seu essentiæ & personæ quæ est hypostasis, nominibus indistincte vtentibus, eum esse vsum, & non ignoramus, quod hæc nomina à Gregorio & Basilio primum interpretando sint declarata, docentibus illis, Substantiam quidem seu essentiam (quam & naturam latine appellamus) id indicare quod in Deitate commune est, sed hypostasin seu personam, quemadmodum Latini appellauerunt, id quod proprium. Substantiæ quidem verbo notionem indefinitam Naturæ ostendente, personæ vero, Characterem id est formam separantem vnũ ab altero, & ideo proprietatem quoq; hanc vocarunt. Sed istis omissis ad propositum reuertamur.

PVER.

Si prius de dictione Symboli verba feceris.

CATECH.

Dicetur igitur & hoc breuiter. Nam scriptura fidei summam comprahendens, quæ nihil aliud esset quam capitum quorundam sanæ doctrinæ collecta summa, de sacris scripturis recisa, symboli fidelium nomen inuenit, quasi dicamus tesseram aut signum vnde coniectura aliquis cognoscere posset recte sentientem Ecclesiam, tanquam

de si-

de signis & mandatis quæ traduntur ab imperatore, in prælijs cognoscuntur ciues, & discernuntur ab hostibus. Estq; hæc veluti effigies quædam & quoddam argumentum eorum quæ credere omnes Christianos oportet. Sed explicatio accurata & cognitio seu scientia & confirmationes horum accipiendæ sunt ex sacris scripturis, & discendæ de enarratione doctrinæ Theologicæ. Esto. Nunc igitur capita, simplicia illa & quasi primitiua, memoria repetentes, audire uelitis de singulis quoq; aliquid. Atq; memoret aliquis incipiens primum, & secundum alius, & alius tertium. Et ita serie procedat enumeratio vna cum nostra deductione.

PVER.

Credo in vnum Deum patrem omnipotentem factorem celi & terræ.

CATECH.

Verbum hoc CREDO*, nihil aliud indicat, nisi fidem habeo. Fides autem non modo noticiæ, sed etiam fiduciæ intelligenda est, vt iam diximus. Erit autem fides secundum Epistolam scriptam ad* Hebræos*, Substantia seu fundamentum sperandarum rerum, argumentum seu depræhensio non apparentium, id est omniū supra*

quæ saluandorum spes consistit & firmatur, stabilimentum & sedes, non earum tamen rerum, quas possit intelligere cogitatio humana, sed quæ neque mens neque oculus hominis vidit vnquam. Atque hæc similia esse, si dicat aliquis, ijs quæ à pueris discere incipientibus primum, literas, memoriter recitantur, non errauerit. Et illi enim sola à magistro dicta pronunciant, sicut illum audiuerunt commemorantem, nihil amplius scientes neque considerantes quam facere quod iubentur: Et Christianos similiter nequaquam curiosos esse oportet, sed tantum resonare sanctas scripturas, & dicere de Deo deq; *rebus diuinis ea quæ illæ dictant, quibus* patet quod *cedendum & obsequendum sit tanquam Dei verbo, absque disputatione cogitationum & dubitatione, vt assensio eorum quæ audiuntur & intelliguntur sit sine præiudicio neque magis quæstioni obnoxia. Eos autem qui maximopere laborarunt in demonstrando: Non esse fidem Christianorum rationum expertem, laudare debemus, siquidem hoc conficere voluerunt: Quod hæc consonet verbo diuino. Non enim cogitationib. humanis illa concinnanda est, quemadmodum quidam facere conati fuerunt proferentes testimonia Sibyllarum & oraculorum de veritate diuina, quæ ignota est & incompræhensa creaturæ vniuersæ. Vnigenitus enim filius qui in sinu patris est ipse expo-*

expoſuit ſolus. Nihil prohibet igitur etiam expertem rationum perhibere fidem Chriſtianorum, ſi hoc dicentes ſentiamus, extra cogitationes & ſupra omnem comprehenſionem ſapientiæ humanæ illam eſſe. Non enim ea vel ſcientia vel prudentia, ſed Fides *& eſt & vocatur, illa quidem nobis in recta ſententia de Deo deq; rebus diuinis ſecundum verbum ipſius, omni mentis ſagacitate precioſior, oſtendens id quod reuera eſt, & hoc concilians nobis ſola ex omnibus facultatibus & efficacijs. Quapropter remouenda ſunt hoc loco habentia ſpeciem quandam & probabilia in diſputationibus philoſophicis, quæ eleuantes* Fidem*, tertio* poſt *ſcientiam* loco *numerant, & coniunctam cum coniectura longe abducunt à veritate. Iſta enim eſt humana ſapientia, quam perdit ſapientia diuina, ſecundum hoc quod ſcriptum eſt: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum refutabo: Vbi ſapiens? vbi literarum peritus? vbi diſputator ſæculi huius? Nonne ſtultam fecit eſſe ſapientiam mundi huius Deus? Nihilo tamen minus, etiam horum cognitio eſt, eaq; adeo ſcientiæ, ſiquidem ſumamus principia verbum Dei ex ſanctis ſcripturis. Non enim celeriter credere Chriſtianos oportet, neque inconſiderate cuicunque doctrinæ aſſentiri, ſed ei tantum quam protulit verbum Dei, ea eſt quæ ſacris literis exponitur.*

Primum igitur recte additur hoc loco. Vnum, secundum diuinum oraculum, Quod sit Deus vnus & pater cunctorum, & per omnia & in omnibus. Et hoc: Dominus Deus noster vnus est. Nam substantialis natura Dei partes non habet, neque diuidi potest, sed proprietas hypostatica distinctionem capit personarum notionibus. Non quod continuum est Deitatis vt distrahatur interpositione quapiam aut incidente vacuo, quod medium interijciatur, sed manente illa nihilominus coniuncta & vna per sese, quamuis admittat differentiam & notationem hypostaticam, qua dignoscuntur tres personæ. Nullis autem machinis effugere hæc possunt impietatis irrisiones: Vnum tria, & tria esse vnum, aut exquisitius vt loquamur: vnum in tribus, & tria in quibus vnum, vel etiam, Quæ ipsa Deitas sit, quæ est vna, quemadmodum his vocabulis Theologus vsus est: Et sunt tamen non ficte neq; imaginarie, sed vere & reipsa: pater quidem expers omnis principij, filius vero principium habens generationem principio & tempore carentem, Spiritus sanctus æternam egressionem. Notiones autem proprietatum procedunt à sancto spiritu, tanquam largitore gratiæ, & doctore omnis veritatis. Hunc mittit & facit cognosci filius egredientem è Deo, ipse vero filius tanquam vnigenitus effulgens

fulgens

fulgens ex ingenito lumine ante omnia sæcula, demonstrat & patrem, cuius iam persona nullam habet antecedentem caussam vllo modo, sed est penitus expers principij. Atque ita dignoscitur id quod personis separatur, & notio à discrimine ad vnum & coniunctum recurrit. Et sequimur in his demonstrationes scripturæ solas, dicente beato Paulo: Esse diuisiones donorum fauoris diuini, & vnum tamen spiritum, & esse diuisiones ministeriorum, & vnum tamen Dominum, & diuisiones efficacitatum esse, sed vnum tamen Deum efficientem omnia in omnibus. Neque nobis opus est alijs vel argumentis vel similitudinibus, ac assensione sincera tantum, qua accedentes intelligentiam sanctarum scripturarum perficiamus fidem de ijs quorum scientia non est, & quæ absurda habentur sapientiæ & acrimoniæ humanæ.

QVID SVBSTANTIA, ET quid persona?

Fortasse dicendum adhuc aliquid sit de vocabulis substantiæ & personæ. Significat autem substantia in ecclesiastico vsu, id quod neque partes neque distantiam habet in natura id est Deitate. Vnus est enim & solus Deus, qui in personarum trinitate cognoscitur. Hypostasis

vero, quam Latini personam nominarunt, proprietatem per se consistentem in vna naturæ substantia, quæq; peculiaribus notionibus ostenditur & separatur ab alijs. Quale est patris ingenitum & expers principij, Filij, Genitum, Egrediens sancti spiritus. Personæ autem appellatione meminerimus non imaginationem aut cogitationem, sed proprietatem significari, quæ & vere sit, & per se consistat. Ne, si hoc loco fallamur, euacuetur salutaris Trinitatis noticia, & pro ijs quæ reuera sint atque consistant, commenta quædam fingentium cogitationum relinquantur. Quod hic autem noster Deus fecerit id est condiderit seu crearit celum & terram, & quæcunque in eis sunt, Moses commemorauit, & expositionem ipsius simpliciter accipiemus, & dictis sine accuratiore inquisitione in præsentia maxime inhærebimus. Creauit autem omnia Creator Deus pater per filium verbum, simul præsente spiritu sancto. Ait enim Euangelista Iohannes, Omnia per ipsum facta sunt. Et Moses: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Atque hæc quidem hactenus. Reliqua vero quis est qui adijciet?

PVER.

Ego.

CATECH.

Age dicito.

PVER.

Et in IESVM CHRISTVM *filium eius vnigenitum, Dominum nostrum, conceptum ex spiritu sancto, natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, et sepultum. Qui descendit ad inferos, & resurrexit tertia die ex mortuis, & ascendit in celos, & sedet è dextris patris.*

CATECH.

Patris quidem Dei dignitatem impijs maledictis petiuerunt cum aliarum sectarum autores, tum Manes (à quo Manichæi denominati sunt) duplex principium & nescio quæ alia fingens, fabulosa illa quidem omnia ac discrepantia. Quæ nihil vtilitatis allatura nobis sint si peruestigentur, neque hoc adeo congruerit præsenti tractatui. In filij autem deitatem insaniyt potissimum quidem Arius, & huius impium sodalitium. Deblaterauerant & priores, vt Artemon, & Sabellius Afer, & Paulus Samosatenus. Quorum impias voces, qui forte audierit, rectius fecerit si statim eluat aures latice veritatis, quam si per-

discere studeat impressiones contumeliosæ maledicentiæ in verbum Dei. Est itaque filius Dei, imago Dei inuisibilis, sermo hypostaticus, & media persona Trinitatis, & substantia verus Deus, & hypostasi seu persona vnigenitus filius Dei patris, coæternus, in synodo Nicæna appellatus consubstantialis patri æterno. Non alijs nominibus significantibus copulam aut idem in substantia, ne quis vel confusionem aliquam intelligeret, vel personæ proprietatem tolleret. Atque de his, vt in præsentia, satis. Hoc autem exquisite confitendo seruabimus: Genitum quidem esse filium, creatum vero nequaquam. Ne aliquis temporis ortum habuisse falso existimet, carentem tempore & æternum. Qui enim est ante omnia & per quem creata sunt omnia, & sine quo nihil extitit seu factum est quicquam quod factum est, ille non possit dici scilicet vnum esse ex creatis. Non etiam dicemus filium esse factum, execrantes hac in parte ambiguam falsitatem, sed vnigenitum & sine tempore & æternum, qui id quo consistit, seu personam suam ex patre habet penitus experte principij: verbum seu sermonem Dei, & cætera quæ paulo ante recensuimus. Veruntamen vbique etiam cauendum est, ne contendendo de consideratione eorum quæ comprehendi, & quæstione eorum quæ assequendo

quendo percipi nequeunt, ista disputationum animæ profanæ vsurpatione, noticia spirituali nos ipsos non animaduertentes priuemus, & tandem in profundum impietatis præcipitemur. Hic igitur Dei filius & Sermo, supplex factus pro genere humano, & Mediator inter Deum iuste irascentem, & hominem propter peccatum obnoxium morti æternæ, secundum promissionem in hunc mundum missus est, ad consummandum salutis nostræ opus, & coercendum principem sæculi huius. Et postquam venit plenitudo temporis, ablegatus à patre natus est ex virgine, factus subter legem, vt eos qui sub lege essent redimeret, vt adoptionem filiorum acciperemus. Natus autem homo est integer atque perfectus, mentem & animam et corpus habens, quemadmodum homines cæteri, nisi quod sine peccato fuit ab initio ad finem vsq;. Suntq; abigendæ prorsus nugæ Apollinaristarum & aliorum quorumlibet, aut loco mentis in Christo Deitatem reponentium, aut corpus sumsisse verbum Dei, quod ita esse poneretur & videretur, seu appareret, vt in carne dispensatio non reuera sed opinione absolueretur. Concepit autem in vtero virgo filium Dei credens verbo Dei, sine viri coniunctione, superueniente super ipsam spiritu sancto, & virtute altissimi obumbrante ipsam. Peperitq; illa filium suum primogenitum &

tum & vnigenitum casta & pura permanens semper. Hic est Iesus Christus, id est, Saluator & Rex vniuersorum verus Deus & homo. Natura humana assumpta à diuina, quæ sibi illam copulauit ineffabili intelligendoq; incomprahenso vnitionis modo. Quapropter canitur hoc quoque perquam concinne: Quod filius Dei factus homo non perdiderit quod erat, assumserit autem quod non erat. Idem natus annos circiter triginta, docuit veritatem celestem sua ipsius voce in hac terra. Et præconium fecit Euangelij seu prædicauit Euangelium regni. Et cum annorum quasi trium tempus præteriisset, traditus à suis perpessus est atrocia, & morte affectus affixus cruci, & sepultus est. Passus autem est Christus carne, permanens ita vt nihil pateretur Deitas. Rursum sic, comprahendi hoc vt nequeat, præsente ipsi deitate, neque prohibente passionem, neque in hanc conuersa. Et conditum quidem corpus fuit sine spiritu & exanimum in monumento per triduum, Deitas vero in sepulcro nequaquam inclusa fuit, sed descendit cum sancta anima in ea quæ subterranea dicuntur, cum auferret inde animarum captiuitatem, & frangeret stimulum mortis, & dirumperet claustra atque vectes adamantinos, & solueret dolores mortis propria potestate, & reuerteretur cum anima non relicta in inferno, & ad resurre-

resurrectionem carnem excitans quæ corruptionem non vidisset, quemadmodum consona sanctis scripturis & traditioni Apostolicæ expositione inquit Epiphanius. Quo pacto vero aut quibus machinis hæc gesta sint, maiestati & omnipotentiæ Dei committentes, sequemur & hoc loco sacrarum literarum & verbi diuini ductum, ad illarum doctrinam non nostras cogitationes, animum attendentes. Surrexit autem CHRISTVS *suscitatus tertia die. Nam parasceues die est sepultus, & sabbato requieuit, & sequente restitutus est vitæ spiritu, secundum sanctum Petrum. Conspectusq; est & alijs multis, & vndecim Apostolis, cumq; ordinasset pertinentia ad præconium, assumtus est in celum cernentibus discipulis, & residet è dextris patris. Hoc est, Dominus est omnium in diuina virtute & cum diuina potentia. Non sic ille quidem, vt loco aliquo veluti sedilis aut solij circumscribatur, sed præsens vbiq; & præsidens in ecclesia, & non sinens diaboli & huius administrorum vi ac fraude, euerti illius nauigium, quod quasi commoti maris fluctibus atque tempestate iactatur. Gubernans item & curans & cosolans ipsam per spiritum sanctum. Quæ cuncta propter nos & propter nostram salutem ita geri oportuit, secundum Dei consilium patefactum in scriptis tam Mosis quam Prophetarum et Psalmorũ.*

Post

Post hæc deinceps & de Spiritu sancto est aliquid dicendum. Sed hoc caput aliquis recitet cum adiunctis. Nam de vltimo iudicio nihil est obscurum aut ambiguum in hac doctrina, sed quid futurum sit perspicue dictum capite vicesimoquinto Euangelij Matthæi, & accuratius etiam Iohan.quinto: Veniet hora qua omnes in monumentis audient vocem ipsius, & egredientur qui bona fecerunt ad resurrectionem vitæ, sed qui mala egerunt ad resurrectionem iudicij. Hoc igitur curæ nobis sit vigilantibus omni tempore secundum præceptum Christi ipsius, precantes vt digni reddamur effugere ista quæ futura sunt, & statui coram filio hominis, & vt inueniamur ij qui ambulauerint in sanctæ vitæ ratione & pietate, secundum sanctum Petrum, sine labe & culpa in die Domini, Amen. Verum iam addat aliquis reliqua.

PVER.

Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam catholicam, communionem sanctorum. Remissionem peccatorum. Resurrectionem carnis, & vitam æternam.

CATECH.

De Spiritu sancto primum omnium sciendum quod præconium fiat de hoc in ecclesia CHRISTI tanquam

tanquam consistente per se seu persona, qui in apostolos effusus est die pentecostes celitus, ita vt sensibus perciperetur, secundum propheticam promissionem, quando consedit supra vnumquemque ipsorum, tanquam dispertita lingua, ignis, & idem nunc quoque efficax & semper in ecclesia quamuis non cernatur oculis, docendo, consolando, patrocinando, purgando, sanctificando, illustrando, & confirmando credentes. Atq; hoc duci, qui sunt Christi, necesse est vniuersos. Nemo enim appellat Iesum Dominum nisi in spiritu sancto. *Egredi autem ex patre secundum oracula diuina, & consistere seu habere personam suam per filium sancti patres tradiderunt.* Itaque sic ait Basilius. *Quandoquidem igitur spiritus, à quo omnis bonorum copia ad creaturam tanquam fonte manat, à filio quidem dependet, cum quo vna absque omni distantia appræhenditur, à caussa vero patre habet annexum id quod est, vnde & egreditur, hocq; iam proprietatis secundum personam quo cognoscitur habet, quod simul & vna cum filio cognoscatur, & ex patre consistat seu persona sit. Hactenus Basiliana. Quod mittatur autem sanctus spiritus à patre, ostendit diuinum oraculum: Ego rogabo patrem & alium consolatorem seu aduocatū dabit uobis, ut maneat vobiscum in sæculum, spiritum veritatis. Similiter patet à Christo quoq; illū mitti, cum ipse dixerit: Vbi ve-*

Vbi venerit autem ille consolator seu aduocatus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritus veritatis, qui à patre egreditur. Adoramus igitur sanctum spiritum Deum verum cum patre & filio, quiq; est spiritus tam patris quam filij, neque vllo modo ab altero vtro alienatur, quemadmodum scriptum est quarto capite epistolæ ad Galatas: Quia vero filij estis, emisit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater. His igitur recte & cum sanctis scripturis congruenter expositis, & euersis garrulis nugis oppugnantium sanctum Spiritum à veteribus, exorta posterius *est nescio à quonam excitata homine an dæmone malo*, contentio atque *rixa, quæ ecclesiam vehementer conturbauit, & effecit exitiosum schisma (quæ distractio intelligitur) Græcorum & Latinorum: illam dico de egressione. Vbi vocabula quædam circundantes vtrique, captarunt sese mutuo, non tam parati propugnare pro veritate, quam cupidi capere & opprimere eos qui dissentire viderentur. Accidit autem idem semper fere in omnibus contentionibus, non circumspicientibus ijs qui dissident quam vtilitatem conferre ecclesiæ possint, neque occupantibus se necessaria veritatis cognitione, sed eo potius, vt aliquos persuadendo moueant & ad se pertrahant, à contradicentibus alienatos: Ita iam tumultus existit, & diuisio, & tristicia*

tristicia afficitur extrema spiritus sanctus, cum aliqui relicta serie doctrinæ sanæ & simplicitate sacrarum literarum, vnaq; directa et sincera confessione, vertuntur ad dictiones veteratorias atq; fallaces, & curiosas quæstiones, profanantes sacram veritatem tam falsi nominis cognitione quam inanium vocum oppositis atq; conflictibus. Vnde nos quam longissime fugientes colamus religiosè veritatem: Affirmantes & confitentes: Quod spiritus sanctus qui substantia seu natura Deus est, hypostasi vero seu persona spiritus Dei consolator seu aduocatus Ecclesiæ, & doctor veritatis, non modo patris, sed & filij spiritus dicatur & sit reuera, tertia coæternæ & consubstantialis & conglorificandæ, & solius adorandæ atq; semper venerandæ diuinæ Trinitatis persona. Cui vni in Trinitate cognoscendo, soli, omnipotenti, iusto, casto, & misericordi Deo, gloria, potentia, victoria, regnum, in sæcula sæculorum, Amen. Post capita de trinitate, quibus fides Christiana prima informatione exponitur, mentio fit in symbolo, sanctæ etiam Ecclesiæ, addita alicubi præpositione quoq; IN. Non quod aliquis debeat credere in quicquam aliud extra diuinam Trinitatem cum fiducia, & adorando & seruiendo & expectando salutem, & quæ præterea hoc modo dici possent: sed volentibus veteribus indubitatam et immotam fidei cognitionem hac etiam

in parte indicare. De hac enim nunc maxime verba fiunt, & hoc vult exhibere symbolum: Quod vna sit Ecclesia Christi catholica & recte sentiens, & sancta. Domus illa quidem Dei viuentis, secundum id quod scriptum est ad Timotheum, & columna & stabilimentum veritatis, & corpus Christi, cuius ipse est caput atque saluator, quemadmodum scriptum est ad Ephesios. Vt scientes quod hic tantum sint membra Christi, & communio sanctorum & remissio peccatorum, fugiamus cæteras coitiones omnes eorum qui hæretici vocantur. Quicunque enim non inuentus fuerit in hoc ouili, cuius solus & vnus est pastor ipse CHRISTVS, *alibi saluari poterit nusquam.*

DE SEPARATIONE ET EXcommunicatione, & adhuc de resurrectione.

Cum autem sit communio sanctorum, id est fidelium, nimirum nulla erit horum & extraneorum communio, qui sunt infideles. Infideles vero sunt non modo ij qui nunquam crediderunt, quiue fidem abnegauerunt, sed ij quoque qui irritam fecerunt, prolabendo ad priorem impiam vitam, & retro delati ad cupiditates carnis, facientes denuo ea quæ vult caro & cogitationes,

tiones, quique exciderunt ex adoptione filiorum, vt iam sint iterum filij iræ, cum à tradito ipsis sancto mandato se conuerterint, secundum sanctum Petrum. Excommunicatio igitur est in Ecclesia aduersus impie agentes, & delinquentium separatio necessaria est, vt sanctorum communio permaneat pura atque sine labe. Veruntamen, quamuis tremenda ac periculosa sit digressio, relinquitur tamen conuersio, relinquitur autem hæc resipiscentibus seu pœnitentibus; vt semper in ecclesia saluum sit dogma atq; præconium remissionis, neque excludantur vnquam confugientes ad misericordiam Dei. De quo nunc tempus plura differere nos, notato prius capite de resurrectione, quod non frustra additum hoc nomen, carnis sit. Nam fide sciendum est futurum vt caro resurgat, id est, Homo integer, naturalis, cum anima & corpore. Apparere enim oportet, secundum ea quæ leguntur in secunda epistola ad Corinthios, cunctos coram tribunali Christi, vt auferat vnusquisque ea quæ corpore egit, ad quod egit, siue bonum seu malum. Interea autem temporis manet anima, voluntate Dei vel in fidei beata quiete, vel in terribili custodia Gehennæ, secundum Euangelicam de Lazaro parabolam, & secundum dictum Christi ad latronem: Hodie eris mecum in paradiso. Atque de his tanquam non apertius patefactis, vlterius

quidem exquirere nihil debemus, sed persequi & tenere spem resurrectionis ad vitam iustorum, quam a Christo dependere, patet. Idq; & Apostolus Paulus argumentando conclusit in priore ad Corinthios scripta epistola. Et ait in secunda: Quod qui suscitauit Dominum IESVM, *is & nos per* IESVM *suscitaturus sit, & futurum tum deinde finem, oppresso vltimo hoste Christi, quæ est mors. Reliqua igitur postea erit immortalitas seu vita æterna, fidelium illa quidem beata, atq; felicissima & suauissima, infidelium vero misera & plena dolorum & acerbissima. Eritq; iudicium tunc extremum post quod omnibus spes abscindetur. Qui quidem saluantur, iis fruentibus iam spei expectatione, qui vero pereunt, non minimam pœnam desperationis sustinentibus. Quapropter quæ sperantur hinc vnusquisq; afferet, illic enim finis futurus est & terminus retributionis in vtramq; partem. Nunc igitur paulum reuersi ad ea quæ de communione dicta sunt, percurramus etiam alia ad hanc pertinentia. Sic quidem vt quasi summis digitis illa attingamus, quemadmodum in prima institutione fieri decet. Communio igitur sanctorum constituit & alienationem non sanctorum. Intelligenda autem est communio hæc de omnibus potissimum spiritualibus, atq; adeo de communi ecclesiæ statu, & veluti de quadam curia Christiana, vnde expel-*

luntur

luntur merito non seruantes regulam Christianismi. Et ea est clauium potestas, donum peculiare Ecclesiæ catholicæ, datum Apostolis à CHRISTO per efficaciam spiritus sancti, ad discrimen eorum qui pie religiosi sunt, & qui non sunt. Vt sit ista quædam iuris Ecclesiastici executio, & calculus non humanus sed diuinus, qui fertur contra inordinate viuentes & turbantes Ecclesiam (quos iudicium portare oportet, quicunq; tandem fuerint) & transgredientes terminos religiosæ pietatis.

QVOMODO INTELLIGENDA *sit sanctorum communio & de Christiano statu, & admissione resipiscentum seu pœnitentum.*

Nequaquam autem inculcandum est hoc loco dogma aliquod de nihil possidendo, aut negligentia suorum, quasi hoc fiat imitatione Apostolici status, qui in Actis indicatur. Quanquam vt verum est, oportere Christianos portare mutuo onera sua, sic etiam impertiri bona. Itaque, etsi in Actis expositus status singularis est, & non is qui ab omnibus & vbique necessario vsurpetur, in ecclesia tamen religiosæ pietatis regula postulat, vt credentium sit cor vnum & vna anima. Et nemo vt dicat aut statuat suarum rerum quicquam

esse suum atque proprium, sed eiusmodi vt communis vsus præbeatur egestati fratrum. Qui enim habet victum in hoc mundo, & videt egenum fratrem suum, & claudit viscera sua præ illo, quomodo manet caritas Dei super ipso? inquit Apostolus Iohannes. Et idem: Quicunq; odit fratrem suum, homicida est. De ista credentium communione scribens Apostolus Paulus, Corinthios glorificare ait Deum per obœdientiam confessionis seu professionis ipsorum ad Euangelium Christi, et simplicitatem communionis ad omnes. Sic tamen commemoramus hæc, vt non obliti simus eius, quod ab eodem Apostolo correctionis instar, scribitur eisdem Corinthijs: Non enim vt alijs remissio sit, & vobis anxietas. Vbi ipsam etiam rem liquidissime definiuit Apostolus, hoc maxime dicto: Si enim promtus animus præsto est, gratus acceptusq; est vnusquisq; secundum id quod habet, non secundum id quod non habet. Plane igitur hoc proponit: Habere aliquos, id est abundare victu cotidiano, aut diuites quoque esse, & non habere aliquos, id est egere & pauperes esse. Et de hac inæqualitate æqualitatem conatur constituere, secundum rationem concinnitatis quæ impertiendo & communicando seruetur. Sit enim a. cui patrimonium est Sestertiorum 24. b. cui Sestert. 16. c. cui Sestert. 12. Si iam æqualiter sustulerimus differentias erit æqualitas. Ab 24. enim

enim auferantur 8. et erit iam a. æquale ipsi b. Et ab 16. auferantur 4. æquale erit b. ipsi c. Sed ablata erant simul 12. hæc igitur apponātur ei cuius nota sit d. id est alicui qui nihil habet, & erunt iam æqualia c. ac d. quoq;. Verū hæc lusisse nos hactenis satus fuerit, lusione quidē neq; profana, neq; aliena à scholastica exercitatione colentium pietatem. Quemadmodū aūt vnusquisq; donū habet spiritus peculiare (vnicuiq; enim tribuitur patefactio spiritus ad cōmoditatem) et est nihilo tamen minus vsus cōmunis omniū, sic etiā benedictio (quę intelligitur copia) externorū bonorū, contingit illa quidem secundū voluntatem Dei proprie vnicuiq;, inseruire aūt & vtilis esse vult communiter vniuersis. Et Christianorum vitam non minime talis constitutionis respectu, scimus existimari, & esse nequaquā vulgarem, neq; confusam cum alijs, sed peculiariter per se degi in simplicitate caritatis, et amabilis iusticiæ. Vt in mundo sit iam natio ista et gens eximia, & non ea quæ in hac vita delicias faciat, sed quæ tantummodo hic peregrinetur, & hospes sit & vaga, & veluti inquilina aliena in regione tamdiu, donec locator concesserit. Atq; hæc gens inter se quasi tribus vna est, & ab alijs diuersa, Nullum hominem illa quidem propter cognationem auersans, ac potius solicita de cunctis, et curā adhibens beneficij aliquid quāplurimis conferendo, & quæ sciens ac volens, lædat neminem,

& fugiens eadem peccatorum, & infidelis impietatis & iniquitatis communionem, & nequaquam tempus absumens in huius sæculi vsu, neq; se implicans vanæ consuetudini eorum, qui sic versantur in hac vita, vt quærant sua, non ea quæ sunt Christi. Et propterea cœtum hunc suorum Christus proprie vocauit Ecclesiam. Quod sit populus hic euocatus & segregatus ab alijs vniuersis. Hic quidem incola, non tamen mundanus, sed qui colligitur in regno Dei, ad hæreditatem & æternam habitationem in conclauibus celestibus. Atq; hæc ad istum modum recte & dicuntur & sentiuntur. Oportet enim ciuem Christi nequaquam versari in hoc mundo sicut impios, sed quam primum perfugio salutari ab hoc impio conuictu ad sacram Christi Ecclesiam transire, & in ea exercere omnem pietatem virtute præditam, seruientem Deo in simplicitate & iusticia omnibus diebus vitæ suæ. Non anxium curis huius vitæ, & vt euanescente mundo sic vti, non abuti, secundum sanctum Paulum. In hoc mundo sunt enim Christiani, non sunt autem ex hoc mundo. Quæ aliqui non modo è vulgo sed primarij etiam viri, minus considerate accipiendo, non sunt assecuti veritatem, & non ingredientes directo itinere aberrauerunt, fugas à seipsis electas persequendo, non iam mundanæ sed humanæ & cognatæ consuetudinis, & tractando non correctionem

naturæ,

naturæ, sed deprauationem, & sanciendo nouas leges, constituentes communisque vitæ solitudinem, & cultus voluntarios à se fictos, & vsum versantem in tristicia ac inhumanitate, in simulatione sanctitatis & pietatis religiosæ, & collocantes spem diuinæ gratiæ & beneplaciti, non supra obœdientiam Christi in fide, sed supra suas excogitationes, & tractationes, & hominum mandata auersantium veritatem. Sed de his etiam prius aliquid dictum est. Cum nequaquam nos similem putemus esse vitam Christianorum illi quam degunt mundani. Didicimus enim Christianorum vitam fugam maxime esse deserentem contaminationes huius mundi, quemadmodum Apostolus Petrus ait, in cognitione Domini & saluatoris IESV CHRISTI, & singularis modi in mundo statum, per secessionem non à naturali & legitima consuetudine, sed ab impio errore & vecordia, secundum quam in voluptatibus & ocio mundus dissolute & leuiter perseuerat viuere, neq; in facilitate securus & improbus esse desinit cum inani elatione in præsentibus, & cæca negligentia futurorum. Oportet igitur veritatis cupidos petere quasi signum mediocritatem, vt recte secent verbum diuinum, neque secedere ad dextram noui cuiusdam & non cohærentis status, prætendendo perfectionem Euangelicam, neque efferri ad sinistram carnalis liber-

tatus & infrenis vitæ, ac multo etiam minus in latam illam viam errando deferri, quæ mortifera eſt, vt per falſa dogmata perueniant ad turpem & turbulentam audaciam excutiendi habenas, & reiiciendo eos qui præſunt in hoc mundo, fingantq; moliendo res nouas tanquam ſomnium, adminiſtrationes & gubernationes eximias, in quibus cuncta pie & honeſte in terra agantur, remoto prius impedimento impie degentium, & tyrannicam dominationem vſurpantium in poteſtatibus aduerſus pios. Quæ eſt plane æmulatio quædam dementiæ Iudaicæ: quam ne admittamus & celebrari patiamur in Eccleſia Chriſti, omnibus modis prouidendum & cauendum eſt. Non enim eſt Chriſtianiſmus potentia mundana propterea quod Chriſtiani hic permanentem ciuitatem non habeant, ſed quærant futuram. Neque illius ſcilicet regia alicubi in terris, ſed domus eſt ſpiritualis & ſacerdotium ſanctum, quemadmodum Apoſtolus Petrus inquit, & genus ipſum electum, regium ſacerdotium, gens ſancta, populus ad conſeruationem, vt virtutes enunciet eius qui de tenebris nos vocauit ad lumen mirabile ſuum. Quapropter neceſſe eſt vt Chriſtiani depoſito tumore omni et peccato, cuius occaſiones faciles ſunt, ſine culpa et abſque crimine & ſancte vitam degant, cum inter ſe caritate mutua, tum ad extraneos ſine offenſione,

nihil

nihil neque agentes neque animo uoluentes eorum, quæ in hoc mundo consueuerunt gerendo exerceri ab omnibus à Dei cognitione alienis, qui vel indulgent & parent occultis impietatis cogitationibus in simulatione sermonum mendacium, vel quasi fluctibus eiecti appelluntur manifestis vitiorum turpitudinibus, quas tales esse omnes confitentur. Cumq; ita iudicent sequentes rectam rationem, improbentq;, attamen consuetudo & mos interdum vincit, vt, quoniam publice frequentantur, non magis subter animaduersiones legitimas iuris cadant, vtque opinionem infamiæ effugiant. Quemadmodum alicubi scortationes, alicubi ingluuies & ebrietas, alicubi latrocinia ac rapinæ. Tales fuerunt occultæ cædes Lacedæmoniorum atque furta, & Lydorum filiæ, vt prostituendo pudiciciam dotem colligerent, & lenocinia apud omnes ferme. At sanctus Paulus diserte pronunciat, quod neque scorta, neque venerantes simulacra, neque adulteri, neque molles neque cum maribus concumbentes, neque fures, neque auari, neque ebriosi, non maledici, non rapaces, hæredes regni Dei sint futuri. Et Galatis sic scribit: Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, obscœnitas libidinum, veneratio simulacrorum, veneficia, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iracundiæ, rixæ, dissidia, sectæ,

sectæ,inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes,& his similia, quæ prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quod qui egerint talia hæredes regni Dei non sint futuri. Et scribens Corinthijs prohibet cibum quoq; capere cum eo qui frater nominetur, & sit scortator,aut auarus, aut simulacra veneretur, aut sit maledicus, aut ebriosus, aut rapax. Nemo igitur decipiat seipsum. Omnis iniusticia peccatum est, & omne peccatum violat legem, secundum sanctum Ioannem, Et natus ex Deo non peccat. Metuendum igitur & perquam horribile est, excommunicari à Deo, id quod fit propter peccatum. Esse enim Dei filius nequit, qui ex diabolo est. Qui vero facit seu patrat peccatum is ex diabolo est. Relinquitur tamen tanquam à naufragio veluti ex transtris pœnitentiæ tabula, qua apprehensa conseruari denuo aliquis possit, ne in isto quasi pelago intereat. Discrimen autem tenendum est inter remissionem peccatorum generalem in Ecclesia, & receptionem lapsorum delinquendo, quamuis vtrobiq; necessaria sit absolutio. Atq; illa generalis,omnino comes est præconij Euangelici, & ex eo ius atque vim suam habet: vt sentientes pondus peccatorum, & siue modo seu olim in peccatum prolapsi, remissionem adipiscantur confugiendo ad verbum seu doctrinam Gratiæ, quæ offertur verbo Dei semper, & vnius cuiusq; fide applicatur. Illa autem receptionis,

nis, patet quod separationem sequens iudicium scilicet, complectatur, & ad hanc ordinatæ sunt regulæ obseruationum diuersæ temporibus & locis diuersis. Quarum constitutio quoniam ad decentem vitam pertinet, pars nimirum fuerit administrationis ecclesiasticæ, de quo superius quoque est dictum. Sicubi vero alias hac certe in parte vel maxime meminisse debent præsidentes in Ecclesia, & regulas edituri in illa, hanc esse potestatem à Domino datam ad ædificationem, non ad destructionem, & non eo vt dominatione aliqui premant Ecclesiam, aut caupones sint verbi Dei, sed vt caro, secundum sanctum Paulum, interimatur, & spiritus conseruetur in die domini, & omnis cogitatio captiua ducatur ad obœdientiam CHRISTI. Quod autem recipi debeant rursum fratres lapsi, & qui fiunt rei quorumcunque sane criminum delictorum, siquidem conuersi pœnitendo peragant confessionem, de eo habemus & Apostolicam ordinationem, in exemplo eius qui exciderat Ecclesia Corinthiaca. Erga quem vult Corinthios decernendo vsurpare caritatem: Ne abundantiore tristicia deglutiatur, inquit, ille. Et erat sane clauium facultas manca, & dimidio sui inutilis, si à communione alienatio esset immota, in ijs qui imbecillitate cecidissent, aut quocunque modo abiecissent sanctæ fidei gratiam atq; spem. Quapropter Nouatianis assentien-

assentiendum non est, introducentibus vesanam opinionem, & inflatis propria cogitatione, & autoribus sectæ immitis, & odium fraternum complectentis, quæq; propter odium benignitatis exercendæ, non immerito contraria Christo appellanda sit. Ait enim Christus : Discite ex me, mansuetus enim sum. Et Paulus prædicat benignitatem Dei erga nos in CHRISTO IESV. *Sane omnes sectas, vt ait Epiphanius ita excitauit peruersa & mala voluntas in ijs, quæ fierent ab initio vsq; ad finem, aut vanæ gloriæ aut elationis, aut cupiditatis appetitio, aut æmulatio ad alios, aut irritatio aut procacitas, sed in summa ex diabolo occæcatio est. Mihi vero machinæ quidem diabolicæ hic perspicuæ, sed humana improbitas magis multiplex videtur. Interdum enim pietas apparens religiosa, cum reuera superstitio sit, quod animus mendacio occupetur, hæreticæ doctrinæ se adiungit. Sæpe etiam ignorantia veritatis in confusione eorum quæ docentur, in errorem inducit animos, vt elidantur aliquando in extremas nugas, non etiam nunquam ad horrendam maxime profanitatem efferantur. Repræhendet igitur se, & insistet vnusquisque cui religiosæ pietatis vita cordi est, in dogmatibus proferendis, vltra ea quæ extant, & cauebit, ne forte, dum aliorum doctor apud homines esse vult, ipse in sese imperitus reperiatur apud Deum. Atque*

que ista quidem ex sectis est acerbioribus, & iniucundioribus. Quæ leguntur autem in epistola ad Hebræos, ea cum conueniente attentione sunt admittenda, non illa quidem quasi pœnitentiam faciant inutilem, sed tanquam auferentia spem repetiti baptismi, & nouarum illuminationum. Cum enim ipse Christus pronunciet quam maximum esse gaudium in celo de peccatoribus resipiscentibus, non sunt profecto pœnitentes habendi pro alienis à regno celesti. Non recte igitur fecerunt, vel qui delinquendo offendentes penitus repulerunt à communione ecclesiastica, vel qui decreuerunt vni tantummodo lapsui veniam dari debere, neque qui ad temporis interuallum distulerunt pœnitentum receptionem, vt Meletiani quondam. Aperta enim esto statim ianua omnibus pulsantibus, neque abigatur à misericordia per homines, & in terra, qui illam inuenit apud Deum & in celo. Neq; quod ad medicinam benignitatis attinet, priuet tribulem suum homo, cum polliceatur curationem ipse Deus, hoc modo ad se vocans per Hieremiam saucios factos peccatis: Filij conuertimini conuertentes, & sanabo quæ contrita in vobis sunt. Atque prædicetur potius salutaris & rectæ sententiæ vox Iohannis cognomento Chrysostomi: Millies, *si resipueris pœnitendo, ingredere, nihil curantibus nobis neque*

Socratis

Socratis repræhenſionem, neque huius dicti inſe-ctationem Siſinnij. Eſtq; hoc à quodam ex vete-ribus perquam bene dictum: Non cadere eſſe Angelorum, Hominum vero cadere, & rurſum ſurgere, quotieſcunq; hoc accidat, tantum autem Dæmonum non excitari lapſos. Et apud nos Teutones præclarum eſt prouerbium: Qui lapſus non ſit, eum non reſurgere. Venit autem in men-tem mihi hoc loco affectionis, qua patres aman-tes liberûm erga ipſos fere afficiuntur. Irati enim delictis illorum, valde delectantur ſi reſi-piſcentes hi fiant ſupplices, & placari parentes ſtudeant precibus & inſeruiendi cura. Quin etiam ſubornant interdum admonitores qui ipſos inſtruant, ignaros propter ætatem teneram aut vecordiam, quid ad vehementer commotos paren-tes dicendum faciendumúe ſit, vt recuperent manſuetudinem, & beneuolentiam erga ſe illo-rum. Et Deus quoque miſericors & clementis affectionis ſaluator noſter, qui omnes homines ſal-uos fieri vult, & peruenire ad veritatis cogni-tionem, & in quo propter filium ineffabiles & inenarrabiles affectiones caritatis inſunt erga credentes maxime ex hominibus, mittit eos qui prædicant diuinæ voluntatis ſignificationes, & doctrinæ præcepta, ſi forte homines auerſi à va-nitate mentis & mendacijs, & conuerſi ad viam diuinæ ſapientiæ ac veritatis, non magis deferan-tur in

tur in interitum per præcipitium impietatis & contumaciæ, sed salui fiant in Domini nostri IESV CHRISTI *iustitia & obœdientia. In hoc enim sunt omnia vt peruicacia & contemtus & superbia infidelitatis fracta remoueatur, & obœdientia atque humilitas simplicitasq; fidei, vel sincera conseruetur, vel labefactata quoq; quam primum rursum erigatur. Cum autem, quemadmodum diximus, in ecclesia cunctis proposita sit venia semper, neque patiamur nos lædi sanitatem doctrinæ eorum rationibus, qui sapiunt vltra id quod oportet: Nimirum quod ita licentia videatur dari, & quod occasio ista sit velocis alterius ruinæ,* propterea quod *semper futura sit concessio* peccandi, *& reditus ad sanctorum communionem in promtu: Res igitur cum hoc modo se habeat, nos quidem de offerentibus se conspectui absurdis, omnia veritati Dei permittentes, caueamus ne quis euolans spe benignitatis, in profunditatem deijciatur iustæ iræ Dei. Non perspicuum enim neque exploratum est fore, vt, qui deliquit, etiam resipiscat, neque adest sponsor, curationem assecuturam esse finem, quemadmodum alicubi inquit Theologus. Quiq; consuetudine quadam se pœnitendo resipiscere ait, & statim in peccata rursum prolabitur, is pœnitentiam simulat, cum reuera sit sine pœnitentia. Et accidit huic, secundũ sanctum Petrum, id quod vere prouerbio dicitur,*

T *vt ca-*

vt canis reuertatur ad suum vomitum, & sus post lauacrum ad volutabrum cœni. Ne quis igitur erret, Deus enim non irridetur, & vera pœnitentia non est quasi ludicrum quoppiam, neque summum cor tantum attingit in ijs qui contristantur tristicia secundum Deum, sed ad interiores animæ partes peruadit, & exhauriens sanguinem desiccat ossa adhærentia carni, vt tales iam non facile possint iræ & grauis commotionis Dei obliuisci, & sentientes afflictionem suam, & ex illa adhuc male se habentes, ne valeant quidem recurrere ad vitam inhonestam atque petulantem, vtque potius cauti circumspectiq; sint semper, ne si denuo euertantur haud possint rursum forte resurgere, existentibus deterioribus quæ vltima sunt, quam fuerunt prima. Atque de his satis. Propter eos tamen qui præpostere medicina vtuntur, non ipsa etiam medicina tanquam nocens è medio tollenda est, cum præsertim verbum diuinum hoc loco rem plane ordinet, & catholica consequentia sit manifesta.

DE CONFESSIONE SEV ORAtionis indicio & ea quæ vocatur satisfactio.

Ad

Ad remissionem peccatorum, quæ nobis à sola affectione clemente misericordis Dei, propter Christum offertur, pertinet confessio. Non est enim medico opus sanis, sed male se habentibus. Qui vero non ægrotat aut morbum negando occultat, quomodo curari medendo possit? Quapropter veniunt ad Iohannem qui baptissari volunt, confitentes peccata. Hoc enim desiderabant vt purgarentur, non igitur puros inueniri ipsos oportuit, vt sordes eluerentur non corporis sed animæ, quas confessione indicari necesse erat. Et ideo Euangelista Iohannes inquit: Si confitemur peccata nostra, fidelis est et iustus, vt dimittat nobis peccata, & purget ab omni iniusticia. Quis enim remissionem peccatorum petit nisi peccator? aut quis mendicat nisi egenus? Quamobrem recte dictum est: Compungi primum oportere pœnitentem, id est dolore affici in sensu vulnerum quæ inflixit peccatum per contumaciam, & vt priorum quispiam dixit, torqueri perpetuo conscientia. Versatur autem huic ante oculos iusta ira Dei & pœnæ, & alienatio à gratia. Quibus perturbantibus animum, tristiciam ineffabilem excitari necesse est, ipsamq; per sese exitiosam atque mortiferam, qualis Iscariotæ fuit. Non igitur insistendum est hoc loco, sed fide decurrendum ad saluatorem animarum, qui iubet venire

 ad se

ad se omnes laborantes & oneratos, vt requiescant. Non sunt igitur alio abstrahendi ita affecti, sed recta adducendi ad Christum, vt tollentes iugum illius leue, ita iam inueniant requiem animis suis. Omnes enim aliæ viæ ad perspicuum interitum abducunt. Si quis enim afflictus metu iræ Dei, & vagans in desperationis cogitationibus, non statim appræhendat quasi adminiculum sanctam & saluificam fidem, persuasum habens se remissionem peccatorum esse adepturum propter CHRISTVM *propitio placato denuo sibi Deo, fieri nullo modo potest, quin ille in barathrum interitus deferatur.* Hoc igitur de contritione re-*cte dicitur, non recte autem ea, quæ de luctu & afflictione nunquam cessante, & sua sponte electa pœna, & carceribus pœnitentialibus, & de persoluendo quasi debito per humilitatem atque tristiciam, & omnis consolationis experte vita, & lacerationibus corporis, hisq; similibus, tragice quidam disseruerunt, qui nouum quendam statum saluandorum inhumana philosophia potius, quam pia theologia introduxerunt, ascensiones mutuo consertas, & scalas fabricantes, vt virtutum & affectionum extructarum operibus in sublime elatis, in celum conscendendo aditus pateret, de admodum tenui filo huius conatus spe suspensa. Atque vereor ne sancti patres Gregorius & Basilius, qui doctrinæ eruditæ suæ præclarissi-*

clarissimas partes contulerunt Ecclesiæ, nedum alij, hoc loco à recta via declinauerint, plus tribuendo quam oportebat talibus conformationibus, & cogitationis humanæ inuentis, quemadmodum & superius notauimus. Veruntamen post doctrinam contritionis, recte subiecerunt confessionem, cum necesse sit, vt manifestum fiat id quod morbo laborat, si quis sanitatem sibi velit contingere, sicut diximus. Non recte vero rursum in doctrinæ sanæ simplicitatem perfectæ & accuratæ enunciationis occultorum, tanquam fabulæ actionem inculcarunt. Qualis est mimica narratio de latrone in ea quæ climax dicitur. Vbi & hoc notandum, vt neque bellum neque verum calliditatis commentum: legem ferri de enunciatione ita vt cum confessione illa confundatur (id quod & Theologus alicubi facere videtur) & pronunciari, quod absq; tali confessione nemo remissionem consequi possit. Vbi etiam scriptor ille est abusus mirabiliter bono apophthegmate: Non esse occultandum serpentem in cordis cauerna, atque adeo intempestiue adduxit hoc quod scriptum est. Dixi enunciabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei. Non enim hoc Psalmo fuerit alius, qui magis vel iusticiam ex fide exprimat (itaque Apostolus Paulus testimonia Euangelicæ doctrinæ inde descripsit) vel euertat tales

cultus propriæ voluntatis, secundum mandata hominum. Quibus nullo modo obœdientia sine dubitatione, & simpliciter debetur, id quod affirmat ille scalifex, dicens : hoc ipso saluari eos qui penitus obœdiuerint præsidenti, quod sciant rationem esse reddendam non ab se sed præsidente. Quid vero Christus *ait? Cæcus si cæcum ducat, ambo cadent in foueam. Non igitur temere de quibuslibet obœdiendum hominibus, sed quærenda veritas est. At verbum Dei veritas est, quemadmodum ait verbum Dei veritas ipsa in* 17. *capite* Iohannis. De *enunciatione igitur sunt ea præclara, quæ tam in climace illa, quam alibi commemorantur, consentaneum scilicet vsum huius constituentia : vt, vbices quæ ostententur non procedere in deterius, & quæ sunt his similia. Hoc vero : Anima cogitans enunciationem, ab hac, tanquam freno, coercetur ne peccet, nam enunciando non indicata deinceps sine metu veluti in tenebris patramus : Quomodo sit dictum perpendendum est. Similiter & illud Sozomeni non laudantis presbyterum confitentibus præpositum, fuisse remotum à Nectario caussæ loco allatum, quod arbitraretur pauciora prius fuisse peccata, cum præ pudore enunciantum delicta sua, tum propter accuratam diligentiam iudicum ad hæc ordinatorum. Propter aliquarum enim vtilitatum expectationem, non rectum*

ctum fuerit etiam laqueos seu captiones statui animis simpliciorum, neque labefactari piam venerationem Dei calliditate falsæ religionis. Adiunxerunt autem inquit Socrates, Episcopi ecclesiasticæ regulæ presbyterum, præfectum pœnitentiæ, propter Nouatianorum nouas molitiones, vt qui post baptisma lapsi essent, coram præposito presbytero confiterentur peccata. Ne tamen ista enunciationis pars penitus ex ecclesiastica regula eximatur, sed recidatur suppuratum illud quod est annexum, nimirum necessitas perfectæ enumerationis, & pœnæ pudoris propriæ electionis, neque enim hæc apostolica doctrina, neque Euangelicum istud præceptum est, sed praua aliarum gentium æmulatio, & audacia ferendi leges eorum, qui dominari vellent in populo fideli, siue scientes seu errantes, nos enim in re ambigua neminem condemnare decet. Quid vero aliud omnino egit Magister iste vitæ communis interrogando: quid à latrone actum esset perperam in hoc mundo? quam illi in Samothracia olim sacerdotes, iubentes eloqui initiandos et consulentes oraculum, quodcunque aliquis in sua vita factũ sceleratissimum perpetrasset. Vbi occurrisse apposite ferũt Lysandrum hoc sciscitanti sacerdoti. Dixisse enim: Vtrũ me hoc facere oportet, te, an Dijs iubentibus? cum respondisset autem sacerdos: Dijs. At tu, inquit ille,

à me diſcedas, tum illis narrabo. Atq; hæc cognoſcenda ſunt de enunciatione, & hoc quodam modo res diſtinguenda eſt vt turbidum hoc traditionis ignobilis, ſeparetur à puritate catholicæ doctrinæ. Id vero quod de ſatisfactione hoc loco aſſuitur, omnibus modis quam longiſſime abijciatur, tanquam neque legitimum & alienum à præconio Euangelico. Quemadmodum autem veteres Ariomanitæ contumelioſe maledixerunt naturæ filij Dei, ita doctores ſatisfactionis iſtius, opus facti hominis, hoc eſt ſemper venerandæ trinitatis æternum conſilium, & filij obœdientem executionem perſpicue calumniantur. Vnde cum ſcripſerit ex ſanctis patribus Athanaſius, eam, quæ Arianorum vocaretur ſectam fraudulentam ipſam atque veteratoriam, eſſe eam quæ Antichriſto præcurreret, ſuſpicari poſſit aliquis, iſtam ſatisfactionis implicationem, ad ipſum iam Antichriſtum pertinuiſſe. Quandoquidem ſolum habemus liberatorem & conciliatorem (accepta gratia dono gratuito) filium Dei IESVM CHRISTVM, *& ſanguis ipſius mundos nos efficit ab omni peccato, idq; ſentimus, cum* IESVM *dicimus eſſe* CHRISTVM. *Qui negat autem, quod* IESVS *ſit* CHRISTVS, *is eſt Antichriſtus, ſecundum ſanctum Iohannem.*

ADHVC

ADHVC DE COMMVNIONE *sanctorum & de ijs qui ex hac vita excesserunt, deq; imaginibus et reliquijs.*

Remissionem igitur peccatorum per sanguinem Christi in Ecclesia sola, & sanctorum communionem, & ipsam Ecclesiam sanctam esse credimus & confitemur, & edocti verbo Dei scimus. Sequuntur igitur hæc quoque. Quod dum hic congregantur & conueniunt Christiani, locus sit remissioni, quodq; æterna sit communio sanctorum, & tertium, quod sancta ecclesia catholica credatur gloriosa esse & sine culpa atque labe, non habens maculam neque rugam aut aliquid tale. De quibus & ipsis latius quædam exponenda sunt. Semper autem oportet conseruare nos & custodire veritatem seu verbum Dei, & id quod Deo placeat vna cum nostra salute quærere in literis sacris, præsertim cum hoc tempore mendacia plus valeant quam veritas, & verbum Dei præ humanis constitutionibus & legum edictis factum sit eiusmodi, vt ignoretur & ægre possit intelligi, cumq; omnia ferme in statu ecclesiastico aut profanitate aut superstitione referta sint. Est enim tempus hoc periculosum quo non modo Ecclesia premitur à manifestis hostibus crucis CHRISTI, *sed ij quoq; qui Christiani volunt existi-*

existimari, & ij esse qui præsideant, magis hoc sibi proponunt vt tum fallant tum fallantur, quam vt glorificent Deum & cedant veritati, et aduersentur mẽdaciloquis deceptionibus filiorum sæculi huius. In tantis igitur periculis cum versemur, ad Dei verbum confugiamus, & inhæreamus exploratæ in sacris scripturis veritati, cui sanctæ Ecclesiæ recta sententia nunquam vocem contrariam locuta est. Quomodo enim hoc fieret? cum hæc neq; audire neq; loqui possit aliud quicquam, quam quod dixerit Dominus in ipsa. De remissione igitur habemus & verbum Dei minime ambiguum, & consensum recte sentientum in Ecclesia, quod pœnitentibus hic remittantur propter Christum peccata. Et quod in sancta fide mortui decedentes, transmigrent ad Christum Dominum, & sint in tuto vsque ad resurrectionem, requiescentes in sinu Abrahami, id est, quod sint sub tegmine fidei in domus Dei habitationibus. De cæteris vero inscientiam exercere præstiterit magis, quam cognitionem expertem religionis persequi, ne per ignorantiam à veritate in mendacium nos ipsos conijciamus. Satius enim est quemadmodum ait Chrysostomus, Ignorare honeste, quam scire turpiter. Qui enim preces & oblationes pro mortuis, & purgatorium quendam ignem esse docendo decreuerunt, ij partim à veritate prorsus seducti recesserunt, partim ipsi

tim ipsi fortasse non sunt decepti, sed posteriores eam rem, cum parum exquisite tractarent, occasionem habuerunt impietatis horrendæ, & errorum maximorum, quibus nequaquam assentiri oportet fideles, sed aduersari semper, quamuis multi & magni, nec non potentes & honorati sint, qui defendunt mendacia, & ea comtu quodam ac cicinnis speciose ornant, etiamsi illi sint imbecilles & humiles. Verbum enim Dei viribus præstat & vincit malum. Nihil nouimus igitur de liberationum siue precibus seu oblationibus, quæ pro mortuis fiant, neq; persuadetur nobis à narrantib. fabulas, instar nugarum Platonicarũ, tridui libera obambulatio animarum, postquã hinc decesserint, facta eis potestate eundi, quo lubeat, et postea data copia contemplandi celestia, moxq; ea quæ apud Orcum fiunt post dies quadraginta, de quib. Macarij cuiusdam Alexandrini, secundũ inscriptionem, dialogus confictus est. Scimus ecclesiæ pia sententia placuisse, vt memoria conseruaretur fideliũ defunctorum, postea vero constitutum est, vt in congregationibus mentio fieret fratrum qui decessissent, atq; adeo patriarcharum et prophetarum, & martyrum & apostolorum, et sanctorum patrũ, aliorũq; supra alios tandẽ memoriæ adiectæ sunt catalogo, vt crederẽt præsentes, quemadmodũ ait Epiphanius, ꝙ qui decesserunt ij viuant, et non sint extincti, sed sint et viuant apud Dominũ suũ,

quodq;

quodq; spes sit precantibus pro fratribus tanquam hinc profectis. Quo quidem pacto adiuuentur precibus sanctis hic superstitum, plane enarrare nemo possit, neque veritatis amans omnino conaturus sit. Epiphanius tamen adhuc scribit ista: Et iustorum enim mentionem facimus, & pro peccatoribus. Pro peccatoribus quidem misericordiam Dei requirentes, pro iustis autem & patribus & Patriarchis, Prophetis & Apostolis, & Euangelistis & martyribus, & confessoribus & Episcopis & anachoretis, & toto hoc ordine, vt Dominum IESVM CHRISTVM *separemus* ab hominum conditione & loco, per honorem *qui ipsi habetur, & venerationem ei tribuamus. Hæc scribit Epiphanius* de memoria, *quam tunc præstitit consuetudo ijs qui homines in terris esse desijssent. Quæ ambo recte ne, & sic reprehendi vt nequeant, dicta sint, an non sint, perpendat accuratius qui volet, nosq; hoc loco in medio relinquemus. Res tamen tunc cœpisse videtur abduci ad absurda quædam, & periculosam audaciam, atque adeo labefactationem cultus religiosi et pij, quo tandem & delata fuit, cum pleriq; nostrum scirent iam nihil, præter mendacia manifesta quæ passim iactabantur (corruptis penitus & consilijs & moribus & doctrinæ assertione & vita ecclesiastica) sequerenturq; cæci cæcos, ita vt ducebamur. Dicimus igitur conclusuri huius disputationis*

tationis partem: Quod religiosa memoria, fortas se & precatio pro defunctis fratribus, retinenda sit. Quandoquidem communio est omnium credentium, & Domini sumus siue viuimus seu morimur. Quod nos igitur speramus, id illis precamur, & testamur nos non alienos ducere eos communione, quamuis cum corporibus non magis præsentes sint, neque nobiscum versentur in terra, oblationes vero non immerito tunc fient in communione et benignitate caritatis, cum sancta fratrum memoria qui ante nos decesserunt. Atque hæc si ita exerceantur, consentanea traditionibus sanctorum patrum futura sunt, haud quaquam consonantibus ijs, quæ hac in re nunc praue fiunt, & impie ac turpiter aguntur, cupiditate quæstus atque lucri, per simpliciorum fallaciam. De sanctorum vero æterna communione tam secum quam cum CHRISTO *Domino plane edocti sumus, & alijs quibusdam & vero hoc dicto Domini, quo ait: Vbi sum ego, ibi & minister meus erit. Iohan.* 12. *Honorandi igitur sunt sancti, qui hinc decesserunt, & viuunt cum* CHRISTO, *non sic tamen, vt nimio quodam honore etiam ignominiam illis aspergamus, id quod faciunt cultus ipsis diuinis æquales tribuentes. Et Epiphanius quidem rem commode distinxit, alij autem quidam ex veteribus incautius quodammodo & veluti declamatorie celebrarunt memoriam sanctorum.*

ctorum. Veruntamen ignoratio veritatis omnino tunc abfuit, quæ iam totam vitam corripuit, et vt verius dicamus, obruit. Atq; ideo maxime, et quia tunc erant docti & eruditione præstantes fere omnes in ecclesiastico ordine, minus læserunt fidem, mutata illa verba & orationis figuræ, quales sunt apostrophæ, compellationes, introductiones personarum & descriptiones. Nam docendo hoc ab illis assertum consulto non reperitur. Id tamen suspicari liceat, tales rhetoricationes supra fundamentum, quod est Iesus Christus, manens extructas esse lignis, fœno, arundine, quæ experimento ignis comburi necesse est. At iuniores cum indocti tum minus in sacris literis exercitati, abusi sunt istis tanquam simpliciter dictis, quæ parum intellexissent, & non iam supra fundamentum, quod solum iactum esset, sed supra nouum quoddam & alienum humanæ dignitatis & iusticiæ, extruxerunt sanctorum qui in meliorem partem iam transiissent cultum, nihil aut parum à vetere simulacrorum veneratione differentem, haud nominibus sane, sed re ipsa plane multitudinem Deorum introducentes. Ac ne de his (quæ manifesta sunt iis quibus non est propositum odio veritatis velle esse contentiosos) longa oratione disputationem molestam faciamus, satis erit duorum tantum meminisse, quæ liquidissime poterunt rem demonstrare. Euagrius enim scripsit, Persarum

rum

rum regem Chosroen, magnam vim pecuniæ donó dedisse Sergio martyri, & caussam explanasse scriptura tali: Vt, inquit, & ego & Sira (muliercula ista erat amata à rege) & omnes in hoc mundo, in tuam potentiam speremus & in te præterea credamus. Perfricet sane aliquis ex peruicacibus & mercede conductis ad patrocinandum falsæ religioni, frontem, & audeat dicere hunc cultum à simulacrorum veneratione differre, & lasciuiens aduersus Christum, seque toto infidelitati tradito, conetur fucis & comtu veluti crinium, speciosam facere manifestam impietatis turpitudinem, homo ipse mentem gerens corruptam & reprobam circum fidem. Verum haud proficient amplius, inquit beatus & veritatis amans Paulus tales, nam dementia ipsorum manifesta fiet omnibus, quemadmodum facta est eorum qui Mosi restiterunt. At istud tamen donum ita tunc oblatum & admiserunt & collaudarunt, & scriptor ille factum perspicue prædicando celebrat, cum plenum sit intolerabili impietate, & horribile peccatum, & eiusmodi quod simulacrorum venerationi similem sanctorum honorem introduceret atque commendaret. Alterum quod hoc loco proponere visum fuit est quiddam deprahensum à nobis, & præbens suspicionem, quod alibi quoque tales correctiones falsæ tandem in ipsos veterum libros

libros subirrepserint, & dignatæ sint honore & admissione tanquam sententiæ, & decreta illorum. Est autem hoc. Epiphanius contra Colyridianos *ista scripserat: In honore esto Maria, pater vero & filius & spiritus sanctus adoretur: Mariam nemo adorato. Hoc loco nos in archetypo ante multos sane annos elaborato, conspeximus, correctoris cuiuspiam adiecta verba hæc: Adoretur pater, etiam celeberrima virgo, vt mater Dei, non tanquam Deus. Si enim in locum adoramus vbi steterunt pedes Domini, multo magis eam, quæ Dominum ipsum genuit. Atque ista huius loci est correctio. Quis autem possit esse sponsor? non etiam in aliis quamplurimis idem accidisse, & posteriorum callidam sapientiam connexam fuisse scriptis à veteribus compositis. Videamus vero quam dissentanea & nihil concludentia ea sint, quæ ille corrector argumentis ex veritate, id est verbo Dei sumtis, commemorauit. Atq; dicere aliquis ad ista possit. Non est vera oratio heus tu, neque effugeris tu, quin tanquam Deum colas sanctam virginem, si adores post migrationem hinc ipsius. Inuocabis enim scilicet ipsam adorans, inuocans autem in animo habebis te audiri, & spem, exaudiri ab ea quæ non apparet. Non apparentem autem affirmare, quod sit præsens, aut non præsentem tamen exaudire seu percipere ea, quæ ad absentem dixeris, aut memoriter protuleris,*

tuleris, ea vero assertio doctrinæ plane Deifica fuerit. Nam neque adesse eam, neque adorationem conspicere, & tamen adorandam esse, non dices, vt opinor. Esset enim istud penitus stolidum vel etiam vesanum. Cum autem in historijs legatur à vigilantibus & dormientibus visos esse aliquos qui hinc decessissent, cum inueniantur probabilibus quibusdam disputationibus modi, quibus illi quæ hic geruntur cognoscant: cauebit sane ab his vnusquisque, ne aberret à vero animum aduertens fabulis. Nos vero in præsentia neque contra hæc, neq; pro his dicemus, sed vnum modo hoc habebimus in mente: Quicquid non est ex fide id peccatum est. Fides vero ex auditu, auditus autem est ex verbo Dei. Cæterum in locum adorare, vbi domini pedes steterunt, dicere liceat, ad rem nihil pertinere. Quomodo enim pertineat? Cum non locum quidem adoret aliquis, nisi vecors, in loco autem quopiam adorare omnino necesse sit. Et in tali loco adorauerit fortasse aliquis libentius, sensu ille quidem carnis. Nam veri adoratores in spiritu & veritate adorant. Consentaneum igitur est quod socij nostri sancti qui decesserunt, & viuentes cum Christo, non desinant suas deprecationes pro coniunctis secum fide offerre, & qui negare velit, is nimis audax esse videatur. At ex hoc qui concludat statim, quod etiam debeamus adorando eos inuocare, cum

 appareat

appareat non admodum quid consequens sit spectauisse, quemadmodũ alibi pluribus demonstratum est. Qui vero nunc ex sanctis patribus testimonia huius inuocationis proponunt, ij prius confiteantur, quantum manifestæ insaniæ simulacris venerandis aceruatum sit, & sic velint iam huic rei patrum dicta accommodare, quippe quæ ab vsitata impietate longissime recedant, & directe opposita, quemadmodum dicitur, aduersentur. Non enim iam sanctis animis deificus quidam honor decretus est, sed reliquis quoq; & imaginibus similiter vis mirabilia efficiendi attributa. Quæ si quis arbitretur non esse veluti inexplorata admittenda & laudanda, is non ideo tanquam imaginum oppugnator exagitandus sit. Quis enim pie religiosus culpauerit religiosum desiderium & cupiditatem, atq; adeo honorem reliquiarum? quæ hic inferius remanserunt, à sanctis terreno curriculo gloriose confecto, ipsis in celestia conclauia digressis. Quis etiam benignam erga imagines affectionem, modo nullus assit cultus impius? Verum (non enim occulta est turpitudo hac in parte) adorationes, & venerationes, & precationes, & prolapsiones in terram, & inuocationes, non Christianum, ac magis Græcorum multis Dijs congruentem cultum esse affirmamus, neq; occupationem legitimam in vera sentẽtia ecclesiæ catholicæ, sed singularem opinionem erroris recentis.

recentis. Iam enim quo, quæso, imaginum honor ab extrema superstitione deficitur? Nunqd vero aliorsum ista narratio euasit, quā quo apud eos, q sine dubio simulacra venerarētur? vt ait Theologus. Hinc enim extitit, vt puto, initium, quod in quib. erant affectiones vehementiores, quiq; corpori magis inhærebāt, ij suos, qui decesserant honore eo afficerēt, vt memoriam per effigies conseruarent. Postea etiam extranei, beneficijs affecti, aut socij amicicię et cōsuetudinis, præterea admiratores eorū quæ tradita audirēt de aliquibus tanquam diuinis viris aut mulieribus, ita studiose formæ simulacra expressa picturis requisiuerūt. Neq; ego vel promtū vel cupidum isto modo animū his accuso, in eam tamen partem illa accipio, in quā Euseb. scribens de ænea effigie laborantis fluxu sanguinis: Quod veteres, à quib. curationis maxime morborum opem sensērant, eos sine discrimine tanq̄ saluatores gentili cōsuetudine apud sese colere isto pacto consueuissent. At Christiani hanc consuetudinem nequaquam sequentur, quia (secundum ea quæ extant in epistola Smyrnæorum apud Eusebium) neq; Christum vnquam deserere poterunt, qui pro omniū qui de toto mūdo saluantur, salute passus est neq; aliū quempiam venerari. Istū enim qui est filius Dei, adoramus solum, et aliud omnium quæcunq; sunt, nihil. Quapropter quod imagines et statuæ postremo quasi Dij facti sint, quodque decretum sit hunc

honorem legitimum atq; necessarium esse, id sane non possumus laudare, & honorari effigies, non magis catholicam assertionem quam Carpocrasianam esse arbitramur. Nihil enim hoc loco ambigui notamus, sed quæ & sciunt omnes, & plurimi adhuc contentionum & errorum amantes agunt, & pro quibus longo tempore confirmato more propugnant illa monstra falsæ doctrinæ, dico fabulas, & auxilij fidem, & consecrationes, & appositas mensulas, & luminum accensiones, & odores: Quæ quidem ab Idololatrico cultu nulla alia re quam nominum mutatione differunt. Quemadmodum enim heroum arma olim in fanis reposita & venerabilia sunt habita, vt Phaselide hasta Achillis, & apud Nicomedenses gladius Memnonis, & apud Chæronenses sceptrum Agamemnonis, quod Vulcanus esset fabricatus, apud Lesbios Orphei lyra, apud Thebanos Geryonis ossa, apud Memphitas capilli Isidos, ita ostenderunt aliqui vexillum celitus delapsum Georgij, aut gladium Petri, & alterius cuiuspiam clauam, qua cædes patrata esset, & galeam alterius, quamuis dicerent se Græcorum errores veteres conspuere. Iam etiam fortunatos fore se aliqui sperarunt in prælijs aut alijs actionibus, afferentes aut præferentes tale aliquid. Simile quiddam facientes quod ille quem narrat Lucianus emta Epicteti lucerna fictili, sperasse fortasse

tasse

tasse se ad eam legentem fore sapientiorem. Et alium quempiam idem ait Peregrini bacillum emisse talento (qui sunt nostrates nummi aurei 600.) atque eam rem veluti admodum preciosam valde ostentasse. Qui vero dicunt: Quod Græcorum effigies qui autores fuissent simulacrorum, itemq; reliquiæ propter absurdam opinionem de ijs quos referrent, turpes sint ducendæ, & iure de his triumphum agi, quod de sanctorum qui decesserunt imaginibus &reliquijs fieri non debeat, quia neque ij quos referunt repræhendendi ab aliquo aut detestandi sint: ijs respondendum est, non disputari nunc, quorum sint imagines aut reliquiæ, sed de imaginum & reliquiarum non admodum religioso neque grato Deo cultu. Quo autem id quo hæc referuntur est honorabilius, eo cauendum studiosius, ne illud dehonestetur per effigiem. Non enim honorandi sunt sancti plus quam decet, sed horum Dominus honorandus est, inqt Epipha. Si quis igitur studeat nō decipi calliditate falsæ sapientiæ, neque conetur mendacia quæ palpari propemodum possint, simplicibus veterum sententijs colorare, non fuerit difficile etiam hoc loco deprœhendere veritatem. Si quis vero contentiosus est, is alibi exequatur sapientiæ suæ excogitationes, quod futurum non sit vt hic audiatur, recentia mendaciloquia veteribus quibusdam cinnis quasi serta contexens. Et nos sane repressa

hoc loco disputatione, procedemus ad reliqua adhuc huius Catecheseos.

De Catholica Ecclesia.

SEQVITVR autem hæc, illa pars de Ecclesia Catholica, Quoniam vero hanc confitentur esse sanctam, primum de nomine differere, & postea de re ipsa exequi quædam, par fuerit. Quod igitur catholica Ecclesia, ex ipso statim nomine opponatur concursibus & conciliabulis hæreticorum, patet. Dicitur sane abdicari à catholica Ecclesia is qui communione hic sanctorum excidit, & hæreticus aliquis, qui propriam ingrediens viam non sequitur sanam doctrinam ipsiusque Christi & Apostolorum. Ecclesiam vero catholicam, neque locus circumscribit, neque multitudo constituit, neque munit potentia aut dignitas in terra, neque successiones principatus stabiliunt, sed est hic status celestis, quo congregantur à Christo mortuo pro genere humano, filij Dei dispersi per totum orbem terrarum, & sub hoc celo. Pro hac enim Christus se tradidit, vt ipsam sanctificaret lauacro aquæ in verbo vt astitueret eam sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta & sine culpa: Quænam vero hæc, inquiat forte aliquis, & vbi apparet? an

est men

est mentis conceptio ista & species tantum cuius visa cogitando offeruntur? Apparet omnino plane, et est vere in cœtibus peregrinis suis per orbem terrarum, id est in conuentibus vocatorum. Vt enim exēpli gratia, omnes Romanæ ciuitatis participes, vbicunq; terrarum sint, statum tenent ciuitatis Romanæ, sic etiam, qui Christianæ pietati per præconium insiti sunt, ij debent catholice, id est secundum catholicæ Ecclesiæ legem & ritum vitam degere. Quapropter interdum illi etiam peregrinantes cœtus, eodem nomine Ecclesiæ catholicæ vocantur. Vt cum Cornelius, nisi fallor, alicubi ait, Vnum Episcopum esse oportere in Ecclesia catholica. Eodem modo & dogma (quæ est assertio doctrinæ) catholicum, atque adeo homo catholicus inuenitur appellari apud veteres. Opponitur autem prorsus, generale ei quod particulare aut singulare dicitur, & ideo ab Ecclesia catholica alienus est hæreticus, & propriam sententiā sequens. Et si quis amat nouarum rerum molitiones, & sibi placet, & dissidijs delectatur, is vnius semper catholicæ Ecclesiæ hostis est. Quæ cū ad hunc se modum habeant, explananandum est etiam, Qui sit Ecclesiæ catholicæ cœtus, ne quis deceptus accedat ad Ecclesiam alicubi malignantiū, et sedeat in cōcilio iniq; agentiū. Namq; animos species fallere sæpe solet. Et Christus ipse suos non sinit fidem habere dicentibus: Ecce hic

Christus, aut illic. Quæ igitur nota cognitionis tutæ, quæue declaratio fuerit non ambigua sanctæ Ecclesiæ catholicæ? Nulla alia quam custodia & conseruatio verbi illius, cuius est Ecclesia, verbi inquam cuius est in Deitate persona, qui est filius Dei Dominus noster Iesus Christus benedictus in sæcula sæculorum. Non enim omnes, qui ipsum compellant Dominum, filij sunt regni sed facientes voluntatem patris. Hæc est autem voluntas patris, vt credamus in filium, sicut scribitur, Iohan. 6. Hæc est voluntas eius qui me misit, vt omnis videns filium & credens in ipsum habeat vitam æternam. Et in epistola ait idem: Hoc est mandatum ipsius, vt credamus nomini filij ipsius Iesu Christi. Hæc est igitur ecclesia sancta, gloriosa, recte sentiens, sine culpa, immaculata, sine ruga, virgo casta, quam iungit vni viro Christo præconium Apostolicum, quæ apparet & exprimitur in cœtibus peregrinantibus in terra per orbem vbiq; terrarum. Et quæ non circumscribitur aut circundatur loco, regione, diuitijs, potentia, personis, potestate, & his similibus vllis. A solo autem Dei verbo habens speciem & formam suam, vt differat ipsa separata ab omnibus congregationibus alijs in hoc mundo. Quando igitur audimus nomen Ecclesiæ catholicæ, ne circumspiciamus obtuentes veluti in turba huc illuc, sed intendamus oculos in

verbum

verbum Dei solum, expositum in sacris scripturis, & ex illo coniecturam capiamus de Ecclesia catholica, non de ijs quæ istiusmodi quopiam tempore statuuntur, aut à talibus tradita sunt hominibus, aut huiuscemodi dignitate sancita. Callida autem & simulata sapientia quidam hoc loco, siue voluntate sua, seu non etiam (nihil enim refert) in errorem seducentes simpliciores, & ostendentes quoddam concilium simile mundano statui, quale est illud quod modo Papæ nominatur (nam malum istud libera oratione indicandum est, etsi in ista parte confidentia nondum periculo vacat) quod habet iureiurando deuinctam turbam satellitum diuitijs atq; potentia eminentum, eorum qui vocantur Cardinales & Episcopi & Abbates, & ordinem istum ipsorum speciosis veluti crinibus implicando ornantes, Ecclesiam catholicam vocant. Quod si qui contradicant, ijs statim apertus est carcer, & horribilis custodia, & cruciatus terribiles, parato & ferro & igne, & omni mortis genere. Nam exilium & ereptio bonorum tunc loco beneficij habetur. Neque defensionis illi alium modum vsurpant, quam vt in aduersarios persecutionem & vim exerceant, cum consuetudo persecutionis non sit catholicæ Ecclesiæ, cumq; ea debeat verbo Dei, & veritatis armis vincere adorientes. Atque hæc est exquisita forma Ecclesiæ catholicæ,

 & re-

& recte sentientis, conseruatio ipsius verbi & traditionum celestis veritatis. Quia vero ea quæ oculis cernuntur apud plerosq; plus fidei acquirunt, quam quæ oratione demonstrantur, ideo rem ipsam aliquis intueatur, nam & sincera simul veritas & simulationis falsitas, declaratione rerum fit manifesta. Omnino veritatis oratio, seu doctrina, non gignit actiones abhorrentes, nam dogmata Christiana rebus oportet esse consona. Vbi igitur est tyrannica inscitia, & vbi sunt cædes, & peruicaciæ sibi placentes & deliciæ, & impuritates, & quæstus illegitimi, & auaricia, & potentia mundana, & superbia, & odium fratrum, & contemtus dominationis, et iniusticia, & contumeliosa dicta, et voluptatum impetus, et libidines, & ebrietatis vesania, & calumniæ, & nulla doctrina, hisq; alia similia exercentur, & habentur studio, ibi vix aliquis cœtum Ecclesiæ catholicæ quæsiuerit, aut, si quærat, haud inuenerit vnquam. Neq; ignoro, quod alijs alijsq; & locis & temporibus gloria & honoris dignitas & præclara species Ecclesiæ catholicæ magis minusue appareat, quemadmodum & sol modo splendidos emittit radios, modo relucet obscurius, occurrente nube quapiam. Et flos rosæ alicubi totus conspicitur, alicubi occultantibus spinis latet. Nihilo tamen minus, vt sol propter nubes non efficit noctem, & in medijs spinis rosa nascitur:

Sic

Sic Ecclesiæ quoque interdum caligo obducitur, neque illustris species manet, cum tenebræ oriantur ab humanis imbecillitatibus, & obliuione, atque adeo peccatis, Ecclesia tamen ipsa non euanescit neque interit. Verum sicubi veritas doctrinæ, & Deo dignæ vitæ status penitus est extinctus, ibi nemo dicere audeat reliquam esse Ecclesiam catholicam, non magis quam apud Cimmerios diem, aut rosetum fasces tribulorum, & carduorum. quamuis forte aliqui multitudine & potentia potiores oppressa veritate aliquantisper se Ecclesiam perhibeant, & à plurimis forte esse censeantur. In ea vero *quæ nondum penitus extincta, neque funditus euersa est Ecclesia, inueniuntur nomina bonorum & malorum, secundum Euangelicam de Zizanijs & de piscibus parabolam. Et interdum, quemadmodum prouerbio dicitur, plures etiam mali. Attamen recta sententia non propterea deletur etiam, quamuis nonnunquam se ostendat exili specie, obscurantibus ipsam umbris mendaciloquiorum & simulationum tanquam nebularum, & redigatur ad paucitatem perquam minutam veræ Ecclesiæ sincera atq; pura integritas, non aliter quam in metallis aliquando aurum & argentum exquisite purum ac sincerum ad exiguam copiam, cum scoria abundet, & illud obtundat. Ecclesia itaque & est sancta*

& manet

& manet semper, quamuis interdum ipsam admodum lædat mendaciorumq; impietas, & labes simulationum, vt in ijs qui se perhiberi Christianos cupiunt, fiat prauiuscula. Quemadmodum & Christus iam immortalis ab aduersarijs Christi iterum tamen crucifigitur, quantum scilicet in ipsis est, & qui non credit, secundum sanctum Iohannem, mendacem facit Deum, sibi ipsi nimirum, cum per se maneat Deus immutatus perpetuo. Similiter & hypocritarum, & falso nomine Christianorum vsurpantium oborta turba, premens sanctitatem Ecclesiæ, non sinit illam aliquando veluti illustrem & splendidam conspici, videturq; ei aliquid sordium & maculæ aspergere: Nihilo minus tamen impolluta & non inquinata ipsa per se permanet, & est semper. Cum his igitur, quæ diximus, qui non vult errare exitioso errore, comparet perpendendo, quæ sit catholica Ecclesia, aut non sit, non cum opinione eorum qui aliter sentiunt quam oportet discipulos Christi, minus vero cum assentationibus quærentium sua, & habentium oculos defixos humi, non aspicientium sursum, vbi Christus sedet è dextris Dei. Nemo enim hic deceptus salutem consequetur. Nam qui non intrat per ianuam in ouile ouium, is fur est & latro. Neque est nisi vnum ouile, vnus pastor. Atque ille bonus pastor agnoscat & nos, & ipsius vocem nos audiamus,

diamus, vt salui facti, semper cum angelis in communione omnium sanctorum glorificemus ipsum, saluatorem filium Dei, Deum verum, viuentem & regnantem cum patre, & spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

De sacramentis quæ sunt Graecis Mysteria.

DIcendum est aliquid hoc loco de ijs quoque quæ sacramenta Latine, Græce mysteria appellantur. Cum autem res propter cumulatas fallacias, magis ignorantiæ quidem quam improbitatis (quæ tamen nihilo minus & ipsæ mortiferæ sunt) prolixam disputationem requirat, nos vt tali in institutione ab ea copia quæ in medio est solis necessarijs recisis, breuiter ea commemorabimus, quorum simpliciores quoque ignaros esse non oportet. Ac primum, quemadmodum par est, de nomine dicemus. Mysterium igitur (siue a verbo idem significante quod in sermone Latino Mutio, cuius futurum tempus est myso, seu ab alio verbo, quod significat oculos claudo seu conniueo, interposita litera S quemadmodum in nomine, in quo significatio est conspuendi) proprie significat venerationem arcanam

quam

quam non liceat enunciando proferre ad externos. Qualia initia quædam fuerunt arcana apud Ethnicos, vt Eleusinæ, & in Samothracia. Quiq; participes essent horum symmystæ, non participes vero amyeti vocabantur. Translate autem quicquid non apparet, & ignoratur, & est occultum, dicitur mysterium. Et scriptoribus quidem Ecclesiasticis, Mysterium est, Actio oculis exposita, contemplationem habens spiritualem. Paulus vero Apostolus vsus est dictione hac in vtraque significatione. Cum enim ait: Dei verbum esse mysterium occultatum à sæculis & generationibus, indicat id quod eatenus ignoraretur & occultum esset, tam de assumenda à verbo humanitate, quam vocatione Gentium. Similiter vbi ait: Loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultatam illam, & de resurrectione inquiens: Ecce mysterium vobis dico, id ostendit quod vulgo notum & perspicuum non esset. Cum vero ait, Mysterium istud magnum est, Ego autem dico in Christum & Ecclesiam, intelligi vult aliud dici quod deducat ab apparente ad maius quippiam. Omnes autem ferme Ecclesiastici scriptores, vt diximus, vsi sunt nomine tantum in hac significatione, & sic apud Dionysium ponitur (quicunque tandem hic est, & vndecunque librum illum excerpendo effecit, nisi ipse forte exposuit inuenta cogitationum suarum) in illis quibus exposuit quadam

quadam doctrinæ arcanæ ratione ea quæ absoluerentur ritu initiorum seu arcano modo peragerentur, in sui nimirum temporis Ecclesiastica consuetudine, cum sic quidem de his scripserit, vt illa disputatio exquisita consideratione indigeat, neque quæ dicuntur temere sint admittenda. Sed de his quæretur fortasse, volente Deo, quando curæ erit non ficte & ex animo, vt dicitur, præsidentibus correctio status Ecclesiastici. Hoc autem fieri non potest, priusquam audiatur & intelligatur veritas sanæ doctrinæ, & eijciantur mendacia, & quæratur sola gloria Dei. Ista igitur in præsentia omittamus, & videamus quæ Mysteria appellarit proprie *Ecclesiasticæ doctrinæ vsus. Sunt autem duo hæc potissimum: Baptisma & Cœna Dominica, quam aliqui tremendam nominarunt, propter primam illam, qua vna cum discipulus suis Christus cœnauit, eam enim plurimi tremendam appellare consueuerunt. Interdum & nomine eo vocant, quo mutata figura significatur, quod iam agantur vere ea, quæ in vetere* TESTAMENTO *figurate essent prius quasi imaginibus expressa.* BAPTISMA *quidem vt mutatam figuram obtineat, siue conseruatarum octo animarum in aqua, quemadmodum in prima & secunda* epistola *Petri scriptum est, seu transitus Israëlitarum per mare, sicut ait*

Epiphanius

Epiphanius, A Mose scilicet & mari incepisse figuram, à Iohanne apertam esse figuram, in Christo perfectum esse donum: Cœna vero Dominica vt habeat antegressam figuram, prolatum à Melchissedeco panem & vinum, sicut idem vult Epiphanius. Vel quemadmodum alijs visum, agni manducationem in Paschate. Oportet igitur constituta definiendo significatione ita dictione seu nomine vti, ne forte ambiguitas caussam nobis det fallaciæ. Vocamus ergo nunc Mysterium, actionem præcepto mandatam verbis expressis, & ordinatam à Christo, quæq; necessario in Ecclesia peragenda sit semper, in confessione fidei communis, obsignantemq; promissionis sermonem, & renouantem reminiscendo efficacitatem gratiæ diuinæ. Ex quibus sane patet, quod quæ proprie Mysteria vocantur, ea sint duo ista, immutabilia propter expressa verba ordinationis atque mandati, sacram actionem doni effugientis visum & omnem sensum corporis, atque gratuiti muneris, oculis & sensibus subijciens, in Ecclesiastica communione, vtentium secundum verbum Domini, qui ordinauit. Quod enim in his cernitur foris, id corpore, quod interius autem occultatur, id spiritualiter percipitur, & applicatur illud quidem sensu, hoc vero fide.

De Baptiſmate.

BABTISMA itaq; lauacrum eſt aquæ ad ſenſum, ordinationem habens verbi Dei iubentis baptiſſari omnes gentes, & promittentis peccatorum remiſſionem, ſecundum hæc: Profecti igitur inſtituite omnes gentes, baptiſſantes eos in nomen patris & filij, & ſancti Spiritus. Et quemadmodum illi apud Iudæos ante Chriſti aduentum in carne, ſignum habuerunt circumciſionem, quod eſſet ſigillum iuſticiæ fidei in eum qui venturus erat, ita Baptiſma ſigillum eſt iuſticiæ fidei in eum qui venit, & conſummauit ſalutis promiſſionem, vt ſancti & puri decætero expectemus iudicium & vitam futuram ſempiternam. Non tantum ergo ſigillum fuerit, ſecundum Theologum tanquam conſeruatio & conſignatio dominij ijs qui alterius poteſtati ſubditi ſint: Sed ſigillũ cunctis Gratiæ, et confirmatio promiſſionis, & ratificatio ſpiritualis diuini doni, quæ merſione corporis peragitur. Quapropter & ſanctus Paulus lauacrum appellat regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem, inquit, Saluator noſter Deus, qui per iſtud lauacrum nos ſaluos fecit ſecundum miſericordiam ſuam, effudit in nos opulente, per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum, vt iuſtificati Gratia ipſius, hæredes fieremus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Et Apoſtolus

Petrus ait baptiſma ſaluos facere, quatenus ſit ſtipulatio ad Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti. Quod plane proponit fidei in baptiſmate confirmationem, qua interrogat Deum conſcientia & orat cum fiducia, non magis fugiens neque pauens, ſicut Adam conſcius peccatorum ſuorum ſibi. Appellarunt autem baptiſma (in quo conſepelimur cum Chriſto, vt ait Apoſtolus Paulus, & abolentur per aquam ac ſpiritum ſanctum, ſordes peccati.) Theologi veteres, Donum, Datur enim liberaliter cum prius nos nihil attulerimus: Et gratuitum munus, confertur enim hoc delicti & lapſus remiſſio obnoxijs pœnæ perſoluendæ: Et vnctionem propter ſpiritualem ſanctificationem, & regni principatum: Et illuminationem. Expulſio enim eſt tenebrarum & ignorantiæ & ortus illuſtris veritatis ſpiritualis: Et amictum, nam qui baptiſſantur ij induunt nouam creaturam: Et ſolutionem ſeu liberationem, vincula enim baptiſſatis ſunt detracta. De nomine vero lauacri & ſigilli, dictum eſt. Et ſimiliter ex ijs quæ ſunt commemorata, intelligere aliquis poſſit, cur initia & initiorum inſtitutio ſeu doctrina, actio hæc appellata fuerit. Eſt autem eximium nomen luminis, & illuminationis, quod tunc illuminentur tenebricoſa omnia, à lumine ſpiritualis cognitionis, & veritatis celeſtis. Et epiſtola ſcripta ad Hebræos appellat illuminatos

natos semel, eos quibus baptissari contigerit. Atque fieri omnino posse negat, vt hi prolapsi renouentur ad pœnitentiam, id est, quemadmodum plurimi interpretati sunt, vt rebaptissentur. Nam & renouatio est hæc actio, & ita nominatur. In Christo enim noua est creatura, & lauacrum est istud renouationis spiritus sancti, vt prius est dictum. Habemus igitur & actionem & vsum renouationis istius integrum simul aqua cum affunditur, simul cum recitatur verbum Dei, secundum ordinationem eius qui iussit. Atq; est præcipue Baptisma hoc quod diximus, consequens autem est, & accidit his vt & nota quædam sit ista, de qua constet confessio, & coniunctio fidelium, atque adeo ad Deum conuentio de vita alia. Significat autem nomen Baptismi etiam abstractionem & demersionem subter aliquid humidum, vt cum ait Iosephus, Aristobulum fratrem Mariamnes mortuum fuisse, cum iussu Herodis à Gallis mergeretur in piscina. Significat & diffusionem ac aspersionem, vt cum de ebrijs hoc verbo vtimur, qui madidi sunt à potu. Non est autem hoc obscurum, quod eos qui illuminarentur, ter demergi constitutum fuerit, propter Arianos. Nouimus vero vnum solum salutare baptisma. Quod vna sit, secundum sanctos patres, Mors pro mundo, & vna de mortuis resurrectio. Quamobrem vsurpatam iterum lauacri

huius purificationem & rebaptissationem non admittit catholica Ecclesia Christi. De baptismo autem paruulorum, satis nobis sit, cum Ecclesiæ catholicæ ritus, tum verbum Dei quod plane docet etiam paruulos admitti à saluatore, & quod extra communionem Ecclesiasticam nemo saluus fiat, quodq; huius principium atque fundamentum sit Baptisma. Estq; paruulorum fides vel communis Ecclesiæ, vel peculiaris etiam diuinitus donata, quemadmodum prorsus & in ætate prouectis. Non enim ista humana cogitatio est. Confessio autem seu professio ore suscipientum seu recipientum tunc merito fit, tanquam in plena copia Ecclesiasticæ cognitionis & religiosæ mentis, quemadmodum scimus, & antiquissimam hanc traditionem habemus, vt eum qui noui quippiam moliri hic audeat, neque religiosum neque Christi amantem esse statui, sed post admonitionem vnam atque alteram, tanquam hæreticum, secundum apostolicum præceptum, vitari oporteat, Atq; de his satis.

De Coena Dominica.

DE cœna autem Dominica ordinatio exposita est planissime, tam in Euangelicis historijs quam apud Paulum. Estq; ambiguum aut obscu-

obscurum in his nihil. Ut mirari aliquis vel indignari quoq; possit considerans audaciam, & eorum qui actionem hanc veluti mutilando lacerarunt, & eorum qui vim eleuarunt. Est autem actio manifeste ordinata verbo iubente comedere de pane illo, & bibere ex poculo illo. Verbum autem dubitationem non admittit: Esse panem corpus Christi, & poculum esse sanguinem ipsius. Ad eos sane qui amputant vnam partem ordinationis diuinæ, ne disputatione quidem vtendum, sed auersandi isti sunt omnino, vbi hoc modo dixerimus: Tu quis es? qui non vereris non iam responsare Deo, *sed fabricando* contraria *&* corrumpendo opus *ipsius furiosi instar impudens es. Alijs non vesanis illis quidem, veniam dans quispiam & admonens eos dicere possit: Vos cur imperuestigabilia exquiritis? Neque est satis vobis guttam hauriri ex mari cognitionis rerum diuinarum? Quare autem omisso verbo simplice & plano circumspicitis vnde schema aut tropum asferatis illi quod scriptum est? Sed dicetis: Visum esse optimum figuratam amplecti locutionem, propter perperam introductas transsubstantiationes & transformationes. Atqui satius erat amplecti simplicem elocutionem verbi Dei, quæ non eget* tropica *allegoria, sed pia contemplatione. Quemadmodum igitur filius* Dei, *homo factus est, & passus* carne, *& resurrexit* ex

 mortuis

mortuis, & assumtus in celum, sedet è dextris patris omnipotentis, reuera & sine omni allegoria atque commento, & ficta animi intelligentia, non tamen ille circumscriptus loco aut cogitatione humana, sed ita vt capere vlla creatura, & effari elocutio, & comprehendere mens hominum nequeat: Sic & corpus & sanguis Iesu Christi, distribuitur in Ecclesia secundum ordinationem Dominicam, vere quidem & reipsa, non tropica aut figurata verborum significatione, sed iudicio simplicis significationis, sic tamen vt explicari exponendo & animo percipi non possit, vt superet omnem humanarum cogitationum comprehensionem, in communi fide Ecclesiæ, secundum efficientiam diuinæ potentiæ æterni & omnipotentis verbi Dei, quod semper præsens & auxilio fuit humano generi, & suis temporibus versatum est in terra, Domini nostri Iesu Christi. De his autem quemadmodum neque de vllis alijs, quibus in Ecclesia fides debetur, non possumus ex proprijs cogitationibus dissérere, sed de scripturarum consequentia, vt ait Epiphanius. Et sancti patres omnino sic verba fecerunt de præsentia veri corporis & sanguinis CHRISTI, *vt impudens valde existimandus sit, qui aliter sentire & docere audeat, nisi se separare velit à recte sentiente & catholica Ecclesia. Distributuitur igitur in Dominica cœna vere ipsius Christi corpus,*

pus, quod comeditur, & sanguis qui bibitur, & ipsam rem pietatis religiosæ fides, quam nulla humanæ mentis facultas compræhendere possit, intelligit sola, non fieri hæc ficte aut figurate tropico quodam commento, sed vere secundum verborum intelligentiam, & qui non credit, quemadmodum ait Epiphanius, esse verum ipsum, quemadmodum dixit, is gratia excidit, & salute. Vbi vero audierimus & crediderimus, credimus quod sit ipsius. Dominum autem nostrum nouimus, totum sensum, totum sensu præditum, totum Deum, totum mouentem, tot.:m efficaciter agentem, totum lucem, totum eum qui compræhendi nequeat, sed qui istud nobis cum gratia donauerit. Hæc Epiphanius. Non igitur hoc loco requiritur sapientia aut superuacanea intelligentia humana, sed obœdientia, atque fides, ne forte procacioribus disputationibus profanemus sacra, & prodamus saltando arcana, id est ne excidamus veritate & gratia, supra id quod oportet efferentes animos, & vacantes quæstionibus magis quam ædificationibus. De his igitur hactenus oratione vsi modesta, ita reliqua persequamur. Reliquum autem est vt de salutari adhuc vsu COENÆ DOMINICÆ *uerba faciamus. Quod igitur & sigilli locum obtineat, ex eo quod scriptum est discere*

licet. Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite ad mei recordationem. Et: Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur ad remiſſionem peccatorum. Perſpicua eſt igitur regula, Quod ſentientes onus peccatorum, confugere debeant ad remiſſionis promiſſionem, & feſtinare ad hanc renouandam, vt obſignetur in ipſis ſemper beneuolentia & gratia diuina. Et ſit ſimul iſta memoria eius arcani in quo eſt liberatio ſeu redemtio per ſanguinem Chriſti remiſſio peccatorum, quia vocati ſumus à Deo ad communionem filij ipſius Domini noſtri IESV CHRISTI. *Itaque corpore communicamur cum Chriſto participantes corpus ipſius, & corroboramur fide bibentes ſanguinem in Eccleſia, ipſius. Et gratias agimus Chriſto ſimul & fideli Deo, qui & gratiam opulente in nos effudit, & promiſſionem ſalutis ac vitæ præſtitit abſque omni defectu, & prædicamus continue donum mortis ipſius, donec hanc vitam degimus, & præter omnia hæc caritatem & beneuolentiam (quæ complexus geſtu apud veteres indicata fuit) ratam facimus inter nos, qui perpetuo communicamur nobiſcum & vnimur cum Chriſto. Nam poculum quod benedicimus, inquit Apoſtolus Paulus, (id eſt quod benedicendo celebrantes Dominum, tenemus in manibus) nunquid communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panem quem frangimus nunquid communicatio*

municatio corporis Christi est? Quia vnius panis vnum corpus nos multi sumus. Estq; ex consequente, ista nota & hoc signum manifestum consensus per confessionem in fide Christianorum, & separatio Christiani cœtus atque conuentus, ab alijs omnibus congregationibus & congressibus publicis. Atque hæc cuncta tam ab ipso Christo quam Apostolis tradita esse ad hunc modum planissime ipsis appellationibus nominum ostenditur, quas accepimus: Communionis (est enim communio ista Christi nobiscum, & nostra inter nos mutuo) & benedictionis, & gratiarum actionis, quod participantes benedicunt gratias agendo ei, qui sese ipsis donauit: & cœnæ Dominicæ, quod istud sit spirituale conuiuium, & fidelis beneuolentiæ, & caritatis non simulatæ, in communi religiosæ pietatis gaudio & hilaritate, pertinente quidem ad eos qui se ipsos explorauerint, & ita comederint de pane hoc, & ex poculo biberint. Nam comedens & bibens indigne, iudicium sibiipsi comedit & bibit, non discernens corpus Domini.

De ministerio quod uocarunt sacrificium.

Appellarunt hanc actionem veteres etiam congregationem, quod cœtus fraternus congregaretur, nunquam neque Ecclesiastica concio fieret, absque communione corporis & sanguinis Christi. Nomine igitur pro nomine posito, etiam actio ipsa dicta fuit congregatio, & de hac verbo sunt vsi congregandi, & Ecclesiasticas conciones faciendi. Quia vero tunc congruentia omnia peragebantur, præconium, inquam, verbi, & preces ac orationes & supplicationes, et celebrationes laudum, et visitatio egestatis fraternæ, & liberalitas affectionis misericordiæ, ita res tota, ministerium et oblatio atq; contributio nominata fuit. Ministeriũ quidem, propter communes administrandi operas & effectiones rerũ necessariarũ & opportunarũ: oblatio vero propter contributionem benedictionũ et munerũ ad vsus Ecclesiasticos. Sunt tamẽ quibus, quod improbandũ non videtur, placet oblationem esse hanc communionẽ appellatã, quod Ecclesiæ cõsuetudine, offerat minister, id est presbyter et Episcopus (quẽ principẽ sacerdotum Dionysius nominauit) corpus et sanguinẽ Christi, ijs cũ quib. cõmunicatur, participans ipse & alijs attribuẽs diuini principatus cõmunionem, et hoc quodã modo vsi sunt vocabulo illi qui Niceæ primũ conuenerunt. Immo etiã sacrificium, et cũ adiectione incruentũ sacrificium aliqui congregationem Ecclesiasticam vocarunt. Nam istud est verũ atq; vnicũ Christianorum

norum sacrificium, laudis, quod offerimus Deo, vt scriptum est in Epist. ad Heb. perpetuo, id est fructum labioru̅ confitendo celebrantiu̅ nomen ipsius. Illud au̅t, fructum labioru̅, acceptu̅ ex scriptis Oseę Prophetæ, interpretati quidam sunt, vitulos labiorum, vt significanter indicaretur sacrificium nouum, quod Christianorum est. Quatenus sane hoc mysterium seu sacramentum communionis est, et quod fit, illud intelligitur sigillum esse promissionis, non esse neque posse dici sacrificium proprie, perspicuum est. Gratiæ enim & doni res est, nonquam nos Deo offerimus, sed quod tanquam gratuitum munus accipimus. Sacrificans autem is scilicet est, qui offert. Quatenus autem Gratiarum actio illa est & appellatur, atque adeo memoria mortis Dominicæ, sacrificium scilicet prohiberi non fuerit alienum, vel quia Gratiarum actionem offerimus orantes interim vt contingat nobis misericordia, supplicantesq; tam pro nobis quam alijs, & inuocantes salutare Dei, vel quia vnici & semel consummati sacrificij meminimus Christi, qui pro nobis factus est execratio, quando Deus, qui peccatum non norat, eum pro nobis fecit peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Idq; intellige̅tes sancti patres sacrificij hic nomine sunt vsi. Quemadmodum plane Eusebius exposuit, vt alijs testibus opus sit nullis. Eusebius igitur ad finem primi libri Euangelicæ demonstrationis,

cum

cum prius commemorasset : homines vniuersos vnum habere precium redemtionis, secundum propheticas scripturas:totius scilicet Mundi purgatoriam victimam, quæ pro omnium hominum animis tradita sit, Deo illam caram & castam ouem, Dominum Iesum, & propterea cotidie nos memoriam corporis & sanguinis ipsius merito peragere : ita addens perscriptis ijs quæ in Psalmo leguntur : Bonum nuntium nuntiaui de iustitia in Ecclesia magna : dicit, Prophetam prorsus docuisse, quod pro sacrificijs veteribus & holocaustis aduentus in carne Christi, & perfectum corpus ipsius oblatum sit Deo,idq; *ipsum Ecclesiæ suæ bonum nuntium nuntiat, tanquam* arcanum *magnum in capite libri prophetica voce prædictum. Istius sane, inquit, sacrificij memoriam supra mensam per symbola peragere cum acceperimus, rursum à Propheta Dauide erudimur, vt dicamus : Parasti coram me mensam, exaduersum eorum qui angunt me. Pingue fecisti oleo caput meum, & poculum tuum inebrians me quam præstantissimum est. Diserte scilicet in his arcana significatur vnctio, & veneranda mensæ Christi hostia, qua litantes incruentis,& præditis ratione, illiq; iucundis sacrificijs hanc offerre per totam vitam Deo, qui est supra omnia, ab ipso omnium supremo pontifice edocti sumus. Et paulo post : Ista vero expertia corporis & in mentis intelli-*

intelligentia posita sacrificia, rursum præconia oraculi prophetici celebrant, hoc quodam modo comprehendentia: Sacrifica Deo sacrificium laudis, & persolue altissimo vota tua, &, Inuoca me in die anxietatis, & eripiam te, & glorificabis me. Et rursum: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum est. Et iterum: Sacrificium Deo spiritus contritus. Hæc igitur cuncta, à sæculo vaticinando prædicta, per saluatoris nostri Euangelicam doctrinam peraguntur præsente tempore ab omnibus gentibus, accedente testimonio veritatis ad vocem propheticam, qua Mosaica sacrificia recusans Deus prædicit futurum alterum apud nos his verbis: Quoniam ab orientis solis partibus, vsque ad occidentis, nomen meum glorificatum est inter gentes, & omni in loco odores afferuntur nomini meo, & sacrificium purum. Sacrificamus itaq;, ipsi nimirum Deo qui est supra omnia, sacrificium laudis, sacrificamus diuinam & venerandam & sacra decentem hostiam, sacrificamus nouo modo, secundum testamentum nouum, sacrificium purum, Sacrificium autem Deo esse spiritum contritum, dictum est. Cor itaq; contritum & humiliatum Deus non pro nihilo ducet. Atque etiam odores incendimus illos propheticos, omni in loco ei applicantes, dum beneuolentem fructum virtutibus pleniæ Theologiæ, per nostras ad ipsum preces offerimus.

ferimus. Hoc ſane & alius docet propheta, qui dixit: Fiant preces meæ tanquam odores coram te. Quapropter & ſacrificamus & incendimus odores, modo peragentes memoriam magni illius ſacrificij, ſecundum tradita ab ipſo ſacramenta, & gratiarum actionem pro ſalute noſtra, per pios hymnos, & preces Deo applicantes, modo nos ipſos toti ipſi conſecrantes itemq; pontifici, qui eſt ſermo eius, dedicati huic tam corpore quam animo. Hanc expoſitionem recitaui, ipſis verbis, quamuis eſſet longiuſcula (neq; facere hoc ego ſolerem) tamen commemorans, propterea quod narratio perſpicua eſſet, & vt haberet aliquis, ſi opus foret, quid reſpondere ijs, qui mendacijs onerant ſanctos patres poſſet: ad eorum os obturandum, ſi tamen fieri id poſſit, qui impudenter audent aſſerere tanquam conſenſum catholicum, iſtam impiam doctrinam de abhorrentibus & quæſtuoſis ſacrificijs, quæ frequentantur cum contumelia ſolius ſalutaris victimæ Agni Dei, quiq; ad hanc aſſertionē abutuntur fragmentis quibuſdam ex libris quos veteres ſcripſerūt, quorum neq; ſententiam, neq; ſermonis proprietatem propter eruditionis inopiam, poſſunt intelligere, quiq; teſtes faciunt illos eorum quæ neq; per ſomnum ipſis viſa fuerunt oblata. Et nunc iſti maxime miſcentes, ſecundum prouerbium, canina & aſinina, conturbant omnia, neq; commota patiuntur conſiſtere. Verum,

Nam

Nam labor hic par est numerare in littore fluctus,
Atq; aliquem rixæ superare cupidine læsum,
Talis quicunq; est, valeat:

Secundum Poëtam, seq; mendaciloquio ingurgitet. Vincet enim ad extremum veritas. Atque haud scio an nihil proferre aliud habeat quispiam de ijs quæ dicta sunt, & contra impudentiam ac curiositatem, quæ vndiq; hoc loco impressionem facit in simplicem sanæ doctrinæ sermonem, quod magis tueri veritatem, & incursiones illas refutare possit, quam Chrysostomi verba, quæ & ipsa ascribenda duximus. Atq; ille enarrans caput epistolæ ad Corinthios XI. *sic ait: Nos igitur tam ex sacris scripturis, quam commentarijs quæ sancti patres reliquerunt, demonstramus nostram doctrinam plane & perspicue, demonstrent iam ipsi quoque his contraria, quæ ipsi tuentur. At enim non poterunt, nisi furtim surripiant dictiunculam aliquam, aut maliciose enarrando fallacibus conclusiunculis vtantur. Quemadmodum hic aiunt? Nunquid patres nominarunt sacrificium, itemque eum qui sacrificatur? Omnino ita. Cum quidem secundum sanctum Paulum, etiam frangi dixerint tum corpus* DOMINI. *Id quod contumeliosum quoque fuerit, si quis illam vocem aliter quam cum pia cautione audiendo accipiat. Mactatus est enim Dominus, qui verus homo, & verus esset Deus, & passus est, & mor-*

& mortuus pro nobis, & cuncta hæc dat atque largitur nobis, & se in manus nos accipere, ac participare iubet, ad memoriam sui. Sic itaque facientes, & præceptum ordinationemq; Domini seruantes, de nominibus recte perceptis, ne dimicemus. Atque ita fuerit istud nobis & sacrificium & hæc benedictio, & consecratio & gratiarum actio pro tanta beneficentia Domini. De Liturgiæ id est ministerij autem nomine (quod sacrificium interpretati sunt) prorsus intelligenti Græcam linguam, notum est, quod significet hoc præcipuum quoddam ministerij munus in populo. Leiton enim, inquit Plutarchus in Romulo, vocant Græci populum. Herodotus vero Achiuos sic vocare ait Curiam. Publica igitur administratio hoc nomine significatur, quemadmodum reperitur vbique in orationibus rhetorum. Et Apostolus Paulus, ministrum eius quo sibi opus esset, fuisse dicit Epaphroditum, cum quo miserant Apostolo Philippenses quibus ei opus erat. Et in epistola ad Hebræos scriptum est: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, ex Psalmo 106. Et rursum, sanctorum minister. Et in libro Actorum: Ministrantibus ipsis Domino & ieiunantibus. Quid est, inquit Chrysostomus, ministrantibus? Hoc est, præconium facientibus. Cum hoc quidem dictum nihilominus de quocunq; cultu spirituali, & ministerio euangelico

gelico intelligendum sit. Atque hæc in veritate sic se habent quemadmodum exposuimus. Regulis autem compræhenderunt (qui sunt canones) hæc, & agenda in Ecclesiis ac congregatione ordinarunt, & decentem ministerij rationem instituerunt (vt honeste & cum diuino decoro agerentur omnia) Episcopi suo quiq; loco & tempore. Ac primus sane, secundum traditionem quandam Hierosolymis Iacobus, & longo tempore post Basilius atq; Chrysostomus. Quæ circumferuntur tamen, & peruenerunt ad nos, habentia inscriptionem horum, ea indigent inspectione, & inquisitione admodum accurata ac diligente. Neq; enim regulæ illæ quæ circumferuntur, eandem formam habent, & curiositas eorum qui augere semper vellent cultum illum, emblematis istis labefactauit veluti ædificia priorum. Quæ cum se habeant, sicut scilicet habent, tam liturgia, seu ministerium, quam synaxis seu congregatio, illud est & indicat, quod diximus. Aliud nimirum nihil quam publicam administrationem in conuentibus Ecclesiasticis secundum ordinationem Domini, & religiosam legem seu regulam piæ honestatis & decoræ dispositionis, cum minime notionem exhibeat ista dictio sacrificij, neque hoc in veritate hic peragatur, tale scilicet, quale intelligentes quidam actionem corruperunt vniuersam, partim cultum Iudaicum, partim Græco-

rum sacrorum initia inculcantes in diuinam & gloriosam traditionem, impie ac nefarie adulterantes veritatis sermonem, & irritam facientes testamentum Christi. Atque Latini quidem his vltimis temporibus sic sunt locuti de his, vt nemo illorum elocutiones deprauantes veritatem interpretari possit. Cum ipsi barbare loquentes, & nouam orationis formam effingentes, protulerint ita quæ neque enarrari, neque intelligi possint ab vllis qui non facere velint præstigias magorum instar, & sibi ipsis assentari in fallacijs inaniloquentiæ. Omnino autem *& apud Græcos dum minus* attenditur *&* negligitur *doctrina, hoc quoque loco mendacia surrepserunt, & sincera actionis integritas amissa est, proq; hac supposita sunt multa, neque cum re ipsa congruentia, neque Apostolicæ traditioni, secundum ordinationem Christi, consona, neque adeo pia illa. Quæ autem subierunt hoc loco, vt labes veritatis, deterrima, ea potissimum sunt duo: Vnum, quod in propitiatorium quoddam sacrificium pro alijs tam uiuis quam mortuis idque priuatim vt peragatur, mutata fuit communicatio cœnæ dominicæ. Alterum, quod abhorrentes quædam inuocationes sanctorum, fuerunt admistæ. Suspicari autem hanc ex omnibus non minimam caussam fuisse, aliquis possit, quod veteres consuetudines ignotæ peruersæq;*

fuerint,

fuerint, Nunquam enim congregabantur olim cœtus Ecclesiastici, quin cœnæ dominicæ quoque communio perageretur. Conuenientes autem memorias celebrabant (quemadmodum & supra dictum est) sanctorum, quosque honore præcipuo dignos esse statuerent, & cæterorum qui in vnaquaq; Ecclesia decessissent. Et didicimus hunc ritum perspicue explanatum in scriptis Dionysij. Sic igitur dicebantur pro sanctis, qui decessissent, & fidelibus congregationes fieri & oblationes, quemadmodum & preces. Fiebant enim in memoria ipsorum. Quemadmodum & Apostolus Paulus de ijs ait, *qui baptissarentur super mortuis: siue tanquam mortuis in Christi mortem, seu iuxta monumenta, seu in memoria dormientum, seu apud defunctos, & propositos adhuc in Ecclesia, seu quomodocunq; sane. Non enim de alieno opere & vicariæ fidei baptismate ista certe scripta sunt, neque pietas hanc intelligentiam admittit, quamuis Apostolus præpositione, super seu pro, vsus sit. Similiter neque hoc loco, sicubi forte reperiatur præpositio, super seu pro, asserere statim aliquis debeat, nescio quid de sacrificio redemtorio & meritorio quopiam, nisi fidei consentaneam rationem negligat, ipse à veritate alienus, aut hanc etiam in iniustitia & mendacio detinens.*

De aliis quibusdam quæ sacramenta nominantur.

DE alijs vero quæ sacramenta vocant plerique, non videri fortaſſe conueniens poſſit huius inſtitutionis modo exquiſita diſputatio. Nos vero hic memores definitionis expoſitæ, plane ſciemus quibus congruat illud nomen, & quibus non congruat. Quod ſi quis alias quoq; actiones in eccleſia ſic vocare velit, definitione ei denuo opus erit, ne appellatione decipiatur. Nam & precatio quodammodo ſacramentum fuerit, & eleemoſyna (quæ eſt affectio liberalis erga egenos) & afflictiones piorum. De poteſtate autem clauium dictum eſt. Sed quid dicemus de vnguenti ſeu Chriſmatos, & ſacerdotum atque pontificum conſecratione? Sane de ordine ſacerdotali & vſus manifeſtus, & non obſcura traditio eſt. Quod autem vetere quodam ritu impoſitæ fuerint manus ijs qui conſecrarentur, ne hoc quidem ignoratur. At vnguenti ſeu Chriſmatos vſus diuinitus traditus (qui antiquus Iudaicusq; & ipſe eſſet) noſtris temporibus abuſu corruptus interijt, vt conſequentiæ in ſana doctrina actionem contrariam omnino nequeant admittere pij tanquam traditionem apoſtolicam. Eadem dicere & de confirmationibus epiſcopalibus, liceat, ad quas

actiones

actiones quædam institutionis primæ corrumpendo deuolutæ videntur. Inanimatorum vero consecrationes & vnctiones plane sunt labes pietatis, & seductio dæmonum. Sed funera morte consopitorum, & studium sepulturæ, neque inane neq; futile esse ducendum. Gerentur itaque tunc omnia decenter & cum debita diligentia atq; cura. Nihil est autem præcipue arcani in hac actione, quemadmodum nec in nuptiarum coniunctionibus. Monachica autem sunt talia, illa quidem qualia sunt, non enim dicam male, secundum Tragœdiam. Quæ vero nobis nota sunt, ea veritatis pietas, & simplicitas moris Christiani *non agnoscit.* De exercitationibus *autem religiosis, coniecturam aliquis præter superius dicta capere non alienam & hanc quandam possit: In admiratione & honore illas fuisse in Ecclesia, duabus potissimum de caussis: vt & disciplina hæc esset educationis honestæ & studiosæ virtutis, dum assuefierent semper aliqui ad abstinendum facile à iucundis & suauibus, & ferendum molesta ac tristia fortiter, vtq; in omnibus facile præstarent continentiam: Et ne impediretur cursus præconij, neque hæsitaret requisita confessio. Vt fruantur* enim *ijs quæ corporis & fortunæ bona perhibentur,* inprimis *solent homines metu percelli & molliri. Quod* igitur *vellent remouere veteres obstantia progressioni* præconij *& liberæ fiduciæ in*

ciæ in confitendo, eo se diligenter exercuerunt, vt premerent subijciendo, & seruire cogerent corpus, vtq; essent superiores externis rebus omnibus, nequaquam huic actioni implicantes excogitatum propitiatorium voluntatis suæ cultum, aut magnificam ostentationem operis meritorij, ad Deum, aut perfectionis tumorem, aut alias similes quaspiam impietatis nugas. Denique in præceptis exercitationum talium, quæ circumferuntur tanquam Basilij, scriptum est. Quod generaliter purificatio indigeat ante omnia misericordia Dei & *sanguine* Christi, *in quo peccatorum habemus* redemtionis *persolutum precium, facientes vbique dignos fructus pœnitentiæ. Ac de his quidem omnibus & longior & alia fuerit disputatio. Nos autem hoc loco concludentes secundam partem institutionis quam habemus in manibus, ita perueniemus ad tertiam, repetitis prius interrogando capitibus, eorum quæ dicta sunt.*

CATECH.

Dicito igitur tu, Quomodo distinguis definiendo doctrinam de lege & Euangelio?

PVER.

Hoc quodam modo: Quod doctrina legis ea sit,

sit, quæ præcipiat facere & exequi cuncta, quæ ordinauit Deus, declarata æterna voluntate sua mandatorum edictione tam insita, quam scriptis compræhensa. Hæc vero cum non seruarentur, cumque onus peccatorum vrgeret homines, aduenit auxilium ab Euangelio, quod est præconium gratiæ, & bonæ voluntatis diuinæ in misericordia ipsius, placati per intercessionem & interpositionem medij vnigeniti filij Domini nostri Iesu Christi. A quo habemus libertatem orationis & aditum ad Deum, in fiducia quæ est per fidem ipsius, vt intelligatur: Esse Euangelium verbum gratiæ & beneuolentiæ Dei, afferens salutem omnibus admittentibus in cognitione veritatis per fidem in Iesum Christum.

CATECH.

Quo pacto autem iustificamur, cum simus peccatores? Dicito tu alter iste.

PVER.

Si pœnitentes & resipiscentes credamus Euangelio. Iusti enim sunt apud Deum, quibus non imputatur iniusticia peccatorum. Hoc autem euenit & fit in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, iusticiaq; & sanctificatio

& redemtio, vt fiat quod ſcriptum eſt: Quicunque glorіatur, is in Domino glorietur. Atque ita gratioſi reddimur Deo in dilecto, in quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias Gratiæ ipſius.

CATECHETA.

Recte dixiſti. Et hoc ſimpliciter tam intelligendo quam eloquendo cuſtodite: Quod ſcilicet credentibus in filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, detur gratis remiſſio peccatorum, quodq; ipſi ſint iuſti per fidem iuſti Chriſti, ne inhiantes ſupercæleſtibus quibuſdam ſpeculationibus, & morantes in cogitationibus curioſis, excidamus ſalute, & aberremus à ſigno propoſito veritatis, negligendo diſpenſationem filij Dei in carne, neu volentes fieri Deorum ſimiles, rurſum iam præcipites deferamur in interitum, ſubiecti poteſtati diabolicæ. Quod vt auertat, precemur, ipſe filius Dei, qui venit vt ſolueret opera diaboli, Amen. Sed dicat iam aliquis, cum nominamus fidem, quid intelligimus?

PVER.

Iſta igitur fuerit firma aſſenſio audientum verbum Dei, & fiducia ſuper gratia ac miſericordia ipſius,

ipsius, propter saluatorem & redemtorem Dominum nostrum Iesum Christum, efficax illa in sanctis, & probata in omni actione honesta ac laudabili, Et vbi hoc non præstatur, ibi fides esse recte dici possit mortua, id est simulata & neutiquam talis, qualem Christianam esse volumus.

CATECH.

Atque his etiam addite, sicut mortuum peccatum est, quod nequit iam condemnationem inferre: Atque adeo præclarissimam expositionem in secunda sancti Petri epistola: Quod gratia & pax multiplicetur in Dei cognitione, & Iesu Domini nostri, tanquam à diuina potentia ipsius, omnibus donatis nobis, quæ pertinent ad vitam & pietatem, per cognitionem eius qui vocauit nos per gloriam ac virtutem, per quæ nobis preciosas & maximas promissiones donauit: vt per hæc fiatis inquit, diuinæ participes naturæ, illam in mundo vbi effugeritis in cupiditate corruptionem.

PVER.

Fiat hoc quandoquidem tu iubes.

CATECH.

At tu, quid vocas Gratiam?

PVER.

Propitij atq; misericordis Dei beneuolentiam & caritatem, qua oblitus peccatorum & sanato morbo, & venia data delictis nostris propter filium ipsius, & diligit credentes, & omnem beneficentiam illis exhibet, & colligit eos in regno celi ad salutem animarum, quæ est vita æterna.

CATECH.

Quid vero nos facere oportet, aut quæ nostra hoc loco facultas est?

PVER.

Sequi & fidem habere sine præiudicio, auscultando vocem diuinam, & admittendo cum gratiarum actione donum quod offertur, & producere fructus dignos pœnitentiæ voluntario animo & promto.

CATECH.

Voluntarium est igitur in nobis quicquam, & meritum aliquod operum esse recte dicitur?

PVER.

Quid ni: secundum ea nimirum quæ sunt abs te definita.

CATECH.

Nunquid etiam quasi procidentes coram diuina maiestate credentes, rectum fuerit pauere, & ambigere vtrum placeant & admittantur, an non? & dubitatione affici, vtrum habeant beneuolens, an maleuolens numen diuinum?

PVER.

Nequaquam, secundum illa quidem quæ dicta sunt. Sitq; hæc vel in simulatione mentis leuitas, vel impietas diffidentiæ. Itaque prorsus retinenda est fides simul atque fiducia expers ambiguitatis & dubitationis, & hæsitationis ad Deum, in Christo Iesu Domino nostro.

CATECH.

Sed heus tu, Quemnam Deum esse confitendum ais? cui fides & debetur, & reconcilians nos commendat.

PVER.

Vnum quidem illũ natura ac essentia omnino in diui-

indiuisum, sed quem contemplamur in trinitate hypostaseon seu personarum, secundum harum differentias.

CATECH.

Secundum quasnam differentias, & quo pacto? Ac prius dicito potius, Quid appellas essentiam, quidq; personam?

PVER.

Essentiam quidem vocamus naturæ communitatem, quodq; est in hac vniforme & indiscretum, secundum quod vnum, solum, æternum, principio carentem Deum agnoscimus & adorantes colimus, secundum verbum ipsius. Sed hypostaseos nomen, vult secernere differentias quasdam earum, quæ dicuntur personæ, in quibus est illud vnum, vel, Quæ sunt vna Deitas, per quas ineffabili modo & incompræhenso ostenditur numen diuinum quale sit: Vnum nimirum secundum essentiam, Quod nos tamen contemplemur in tribus differentijs: non ficte neque imaginatione cogitandi, sed reipsa & vere subsistentes. Et hæc est veritatis scientia (cuius præceptor sermo Dei) sola salutaris, & ista ignorans nihil in veritate nouit de rebus diuinis.

CAT.

CATECH.

Quænam vero ista est scientia?

PVER.

Deum patrem primum principium esse vniuersorum, ipsum principio carentem, ingenitum, factorem celi & terræ, & creatorem vniuersorum, quæcunq; sane creata sunt. Sed filium nulla temporis origine ex patre nasci, non creatum neque factum, verbum seu sermonem in vna persona, per quem omnia facta sunt, quæcunq; sunt facta. Qui se medium interponit semper inter Deum & homines, qui homo est factus, assumta carne sine peccato vere ex Deipara virgine Maria, Qui passus est, & pro nobis mortem pertulit, resurrexit, assumtus est in celum, & sedet è dextris Dei patris, venturus ad iudicium de viuis & mortuis, saluator & redemtor noster Dominus IESVS CHRISTVS. *Spiritum autem sanctum egredi ex patre, secundum scripturas, cum nihilo secus etiam filij ille spiritus sit, vt confessionis veritas hoc constituat: Quod spiritus sanctus personam suam habeat ex patre & à filio. Non genitus neque factus aut creatus, sed egrediens ex Deo, vnde omnis sanctificatio peruenit ad Ecclesiam Christi.*

CATECH.

Quo pacto vero quoue modo?

PVER.

Per præconium Euangelij, & munera ſpiritualia, in remiſſione peccatorum, & renouatione mentis, & reſtitutione integra naturæ, ſingulorum propria poſt diſceſſum ex hac vita, in reſurrectione carnis.

CATECH.

Quid appellatis Eccleſiam Chriſti?

PVER.

Cœtum confitentium fidem in Chriſtum. Qui euocati generali veritatis & Euangelij præconio, cum remiſſione peccatorum & renouatione ſanctificationeq́; ſpirituali congregantur in communione tam ſanæ doctrinæ, quam ſtatus legitimi, & vitæ pure degendæ in hoc Mundo.

CATECH.

Quomodo ſancta dicitur catholica ſeu generalis Eccleſia?

PVER.

Quia cum mansit Ecclesia Christi, quotquot vere sunt huius tanquam vnius corporis membra, eos sanctos esse, & carentes culpa necesse est, in fide Iesu Christi, qui etiam caput est corporis illius.

CATECH.

Sed quarum rerum inter sanctos communio est?

PVER.

Omnium quascunque requirit vsus fraternitatis, sed spiritualium maxime. Inprimis autem cognitionis veri, & sanctitatis in suo statu.

CATECH.

Carnis resurrectio quomodo creditur?

PVER.

Vt post mortem idem corpus, quod relictum fuerat discedente anima, restituatur. Vtque nos reuiuiscamus, & viui statuamur ad iudicium, sic deinceps vt degamus in infinito gaudio vel dolore.

CAT.

CATECH.

Estne præterea quippiam? de quo & dictum, & vos interrogatos respondere rectum sit?

PVER.

De Sacramentis.

CATECH.

Dicito igitur, Quid sacramentum in præsentia vocas?

PVER.

Voco itaque ego, secundum iam dicta, sacramentum, sacrum ritum in Ecclesia actionis expositæ oculis, habentis contemplationem spiritualem, qui ex ordinatione diserta Domini perficitur, & obsignat salutis promissionem.

CATECH.

Recte videris hoc respondisse, sed quam multa hæc sunt?

PVER.

Proprie quidem loquendo, Duo: Baptisma & Cœna Dominica. Adiungere tamen his possit aliquis

quis oratione neutiquam abhorrente, etiam clauium potestatem, quatenus illa quidem ad impositionem manuum & absolutionem pertinet pœnitentem.

CATECH.

Esto. De alijs vero quæ sacramentali ritu geri quidam volunt, quidnam dicere possitis?

PVER.

Nihil, vt opinor, nos quidem, sed cum consideratio horum, tum ordinatio relinquenda alijs videtur. Sic nos vt caueamus ne quid loquamur, aut cogitemus recedens ab alijs quæ sunt perspicua & nota in verbo Dei.

CATECH.

Sic facite. Atque nunc cætera exequamur, & colophonem apponere conemur tractatui institutionis huius.

TERTIA PARS CATECHESEOS. QVAE EST DE oratione seu precibus. Quod necesse sit precari pios.

DE precatione propositum fuit tertio loco dicere aliquid in hac nostra institutione. Quod igitur vnusquisque (cuius affectus non prorsus contrarius est naturalibus noticijs) quemadmodum persuasum habet, esse Deum, ita existimet etiam precari oportere inuocantes auxilium ipsius, patet ex ijs, quæ singuli, non delirantes animo, ratiocinantur & sentiunt. Qui vero veritatis diuinitus edocta pietate instituti sunt, ij norunt, quod precatio ad Deum, & mandatum & promissionem Dei habeat, quodq; pia ac fidelis vsurpatio hæc cultus fiat cum obœdientia placens Deo, & quod assequatur bona, quæ verax Deus, per interpretes suæ sententiæ promisit vrgentibus precationem, & tollentibus manus puras ad ipsum continue omni in loco. Dictum enim hoc est plane in Psalmo 49. Sacrifica Deo sacrificium laudis, & persolue altissimo vota tua, & inuoca me in die afflictionis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. Et Christus dicit discipulis suis: Amen Amen dico vobis, quæcunq; petieritis à patre in nomine meo, ea dabit

ea dabit vobis. Et rursum in Psalmo 144. Propinquus est Dominus omnibus inuocantibus eum. At Ioel Propheta, quod excerpsit sanctus Petrus, concionans de consummata in Christo diuina promissione, ait: Et erit, quicunque inuocauerit nomen Domini, is saluus fiet. Non solum autem iussit precari petentes suos Christus, sed varie etiam per similitudines & narrationum præcepta, inserere eis studium & attentionem molitus est, vt sine cessatione orantes inuocarent Deum præsidem & curatorem custodiæ suæ, & largitorem necessariorum.

ESSE VTILEM PRECATIONEM.

De vtilitate autem precationum, ac potius necessario vsu, is cogitabit & curam suscipiet, fugietq; fastidium, & neutiquam despiciet simplicitatem & apparentem exilitatem rei, quem sensus tetigerit humanæ imbecillitatis, & circumstantium periculorum magnitudo, quiq; præuiderit quam horribiliter circumeat hostis animis exitiosus, diabolus inquam, inhians in nostrum interitum, cuiq; nihil est prius aut potius, quam labefactare semper aliquid tam in corpore, quam bonis nostris, alijsq; omnibus, quorum ereptio tristiciam & dolorem affert. Omni autē apparatu machinari hoc ille consueuit, vt animam perdat, quod fit

abductione à veritate ad mendacium. Quapropter pij & timentes Deum, bene sciunt, quod continue aduersus Diaboli impressionem, obijciendus sit gladius spiritus, quod est verbum Dei, per omnem precationem & orationem, precando omni tempore in spiritu.

ESSE OMNIBVS INSITVM, *quod precari debeamus, & de pijs precibus, deq; gratiarum actione & hymnis.*

Quod autem sententiæ atq; doctrinæ: Esse Deum, consequens sit hæc inuocationis, & precationis seu adorationis, manifestum fit conclusionibus rationum naturalibus. Si quis enim persuasum habet esse Deum, is nimirum scit secundum Homerum, respectu diuino vbique homines indigere. Vsus igitur ipse tanquam impellens indigentes auxilij, efficit vt diuinam opem precando implorent, tam in desperatis rebus apud homines, quam non apparentibus & dubijs casibus. Atque cuncti difficultate aliqua circumuenti, & maxime si desubito conturbentur, inopes consilij in rebus duris, nemine docente, tunc naturali impulsione instigantur, vt quærant boni aliquid & conseruationem, per preces, nihil ambigentes de prouidentia aut respectu diuino. Quod siquis tunc quoq; nondum mutato animo in impietate

pietate perseuerat negante Deum, eum patet ab humanæ naturæ conditione alienatum, non integra mente esse. Quemadmodum Diagoram quendam, aut Theodorum, vt puto iocose insectantem vna nauigantes, qui non admodum probi homines esse crederentur, & nihilo tamen minus, cum nauis tempestate periclitaretur, inuocarent numen diuinum: tunc igitur illum perhibent dixisse, Tacete vos ne diuinum numen persentiscat quod hic nauigetis. Sane tam apud Poëtas quam alios scriptores, personæ inuocantum & precantum præcipuo studio introductæ reperiuntur. Neq; minime hic indicatur, veritatis peruersio & superstitionis flatus. De quibus longa esset oratio, & nos iam ante de his aliquid diximus. Nunc ergo hoc breuiter commemoratum satis sit ad hanc institutionem: Quod doctrina atq; sententia inuocationis per preces, prorsus Deum constituat, Qui enim precando seu adorando colitur, omnino iam pro Deo habetur. Attribuit enim illi quem adoramus, quod negari nequit, & uim exaudiendi statim, & quod possit liberare. Quæ ambo nullius sunt alterius nisi Dei. Quemadmodum igitur alium, præter Deum, colentibus olim pietatem inter Iudæos concessit lex, iurando testari neminem, propterea quod iusiurandum necessario constituat cogitationem præsentiæ Dei: sic non licere vllo modo inuocando

precandoq; adorare alium quam Deum verum. Quiq; hoc agat, cum à veritate aberrare, & esse hoc factum non religiosæ pietatis, sed simulacrorum cultus, existimandum est. Cum autem perspectum sit, esse adorationem Dei in petendo & obsecrando et supplicando, omnib. lege naturæ insitum, qui quidem Deum esse statuant, sequitur scilicet, Quod pariter & hymni & gratiarum actiones, non sint humanæ quædam leges, sed instituta naturalia ipsa quoque, quodq; secundo capite decalogi comprehendantur, quemadmodum & superius ostendere sumus conati. Cum enim maiestatem & potentiam & gloriam, eius quod esse statuitur numen diuinum, hymnorum & carminum bonis verbis predicare, tum meminisse conuenit benefactorum, conseruatos & protectos in calamitatibus, ei qui custodiuit & liberauit, habere gratiam. Quæ quia ad hunc modum se habent, solum hoc ad considerandum restat. Quo pacto precatio seu adoratio non aberrans à vero Deo, fiat & pia, & carens reprehensione, & salutaris vtentibus. Talem autem esse nullam aliam nisi Christianorum, statuendum est. Sic enim ait ipse Christus Mulieri Samaritanæ, Vos adoratis quod non nouistis. Nos adoramus quod nouimus, quia salus ex Iudæis est. Iudæi enim acceperunt promissionem de salutari suo, & ipsius mundi. Non enim erat

Iesus

Iesus pro sola Iudaica gente moriturus, sed vt filios etiam Dei dispersos congregaret in vnum. Quemadmodum igitur verbum, seu sermo Dei, Qui est Iesus Christus (sicuti scimus credentes diuinis oraculis) is extitit, qui exponeret cuncta, quæ homines cognouisse de Deo opus esset, sic illi soli qui ducuntur spiritu ipsius, adoptiui filij Gratia, clamant: Abba pater, & habitans in his Christi spiritus, opitulatur infirmitatibus eorum. Nam quid precemur, inquit Apostolus Paulus, quemadmodum decet, non scimus, sed ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. In Christo enim qui est verus filius Dei, beneplacitum est, omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, facta pace per sanguinem crucis ipsius. Quod precatio igitur non debeat ex fide pendere, quomodo perhibere audeat integra aliquis mente præditus, non video. Cuius enim esset iste & derisio, vel insana potius garrulitas, precari aliquem sine spe & fide: esse eum qui & audiat & admittat petitionem. Scimus autem edocti sacris scripturis, Quod per solam fidem in CHRISTUM, accessum habeamus ad Deum. Christianorum itaque fides sola (de qua antea iam dictum est) precationes vendicat, & extra hanc, nulla alia religio adorat precando Deum. Si precando adorare

Deum, eſt ipſum glorificare, quemadmodum eſt. Nemo autem infidelis ipſe Deum glorificat (filius enim ſplendor gloriæ Dei eſt, & eſſe dicitur in epiſtola ad Hebræos) neque omnino poteſt conſpicere, quamuis norit intelligendo potentiam & Deitatem ipſius. Deum enim nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ille ediſſeruit. Et ipſe Chriſtus inquit: Nemo peruenit ad patrem niſi per me. Peculiare igitur eſt, vt precentur, eorum qui Chriſto credunt. Omnes enim pij & antea fuerunt & nunc, & ſemper futuri ſunt grati acceptiq́; Deo propter Chriſtum. Hæc cum ita ſe habeant, & hoc modo *ſint explicata, dicendum eſt deinceps, & quibus verbis vtentes, & qua mente præditi, interpellare poſſimus Deum recte, & ſicut decet, precibus noſtris. Ubi prius, quemadmodum in talis inſtitutionis doctrina fieri debet, definiemus ſignificationes vocabulorum, ne quis in his errans veritate excidat.*

ENARRATIO VOCABULORUM *pertinentium ad preces.*

Primum igitur ſciendum, quod adorationem nominando, indicemus geſtum quendam humilitatis, & ſubmiſſionis accurrendo ad alterum, & declarando, quod tradamus nos in poteſtatem ipſius.

ipſius.Id quod verbo à genubus ductio, quo genua attingi ſignificaretur, vt opinor, veteres Iones appellarunt. In deprecationibus enim morem habuerunt, & mento admouere alteram manum. Verbum igitur adorare factum ab adulationibus canum, indicat geſtum procidentis & obſecrantis abijciendo ſe. Vocabulum vero orationis & petitionis, ſignificat ſermonem declarantem quo opus nobis ſit, & quo indigeamus. Supplex autem eſt is proprie, qui confugit ad alterum quempiam ipſe alienus, auxilio aut reſpectu egens.Sed interceſſio, & medij interpoſitio, pro alio laborante fit ab eo qui familiaris aut amicus eſt ipſius, vnde alleuatio aut commoditatis aliquid expectatur & ſperatur. Quando igitur Deum intuemur apud eum boni quippiam quærentes aut implorantes miſericordiam, precatio ea dicitur. Qualem precationem vſuparit ad hominem pie religioſus nemo. Benedicere vero, dicitur non ſolum de laude & gratiarum actione (vt in hoc: Si benedixeris ſpiritu, qui implet locum priuati quomodo pronunciabit, Amen ſuper tua benedictione? Et hoc: Benedicam dominum omni tempore, ſemper laus eius in ore meo) ſed de inuocante etiam nomen Domini,& adiungente gratiæ aut benignitatis quaſi prærogatiuam meritis. Vt cum benedicit Iſaac Iacobum loco Eſau, Et Balaam accerſitus ad execrationem Iſraëlita-

 rum,

rum, benedixit benedictione eos. Et Dominus ipse dicitur benedicturus esse populum suum in pace, Psalmo 28. Similiter vtimur benedicendi verbo, Quando tanquam minister seu administrator quispiam de aliquo orans seu precans, habensq; ante oculos gratiam & beneficentiam diuinam, ita in abundantia spiritus & præsentiæ Dei sanctificantis & perficientis id quod agitur, offert cum gratiarum actione donum diuinæ gratiæ ijs qui idonei sunt ad percipiendum. Sic Apostolus Paulus in priore epistola ad Corinthios nomine hoc vsus est. Poculum, inquit, benedictionis quod benedicimus, nunquid communio sanguinis Christi est? Hoc enim ait: Quod in manibus tenentes benedicimus cum, qui largitus nobis est sanguinem suum, gratias agentes, & offerimus participantes & distribuentes benedictionem diuinam in communione Ecclesiastica. Hymni vero gloriosam celebrationem, & psalmos & cantus complectuntur, laudantium Deum & gratias persoluentium pro acceptis beneficijs ipsius. Idque est in scripturis confiteri, vt Psalmo 29. Psallite Domino sancti ipsius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius. Idem valet gaudere & exultare, & lætari & gloriari, & annunciare mirabilia & magnalia Dei. Quibus iam declaratis, reliquum fuerit videre de quibusdam incidenti-

bus

bus hoc loco quæſtionibus his: Prima, Quomodo vtendum ſit precibus. Secunda. Quodnam tempus & qui locus idoneus ad precandum. Tertia, Pro & de quibus precandum ſit. Quarta. An pium ſit precari cum conditione.

QVOMODO VTENDVM ſit precibus.

De hoc ſane non habuerit aliquis quid dicat, niſi quod perturbatos nos & laborantes oporteat *confugere,* ad auxilium Dei. Isque erit *omnino finis ſolicitudinum apud Chriſtianos. Non enim fuerit prauum neque inhumanum cura affici nos ſecundarum aduerſarumq; rerum tam noſtrarum quam alienarum. Atque Socratici quidem animi excellentiam æqualis ſemper & inuicti in omnibus fortuitis caſibus, decantent ij qui aſſerunt humanæ mentis vim quandam, quæ in poteſtate & arbitrio ſuo omnia habeat, nos vero neque Chriſtianum hominem rem ſenſus expertem eſſe intelligiq; volumus,* neque *dicimus abſurdum tam ob ſua quam aliorum* euenta *atrocia & nocentia, dolore aliquem & triſtitia affici. Ita ſequitur ſcilicet ſolicitari pios, ſic tamen ne ſeſe illi dedant triſticiæ Mundi huius, ſed vt triſtes ac ſoliciti & curis*

occupati

occupati quærant omnium horum quietem in oratione seu precibus. Sic enim Apostolus Paulus scribit Philippensibus: Dominus prope est, nulla afficiamini solicitudine, sed in omni precatione cum gratiarum actione vestræ petitiones innotescant ad Deum, & pax Dei quæ superat omnem intelligentiam, custodiet corda vestra, & agitationes mentis vestræ in Christo Iesu, Ex quibus patet, reperiri pacem in precatione. Precatio vero est eius qui aliquo eget. Non eget autem aliquo is, qui non tangitur sensu tristium vllorum. Vnde sequitur, solicitari quidem Christianos temporibus dolorificis, sed ad precandum vsque, quodq; solicitudine carens nunquam orare seu precari, & non desinens solicitari nihil proficere soleat, quippe nunquam acquiescens. Præterea hinc liquet, non fieri precando quod operæ precium sit ab vllo, qui non nitatur fide in Mediatorem vnum illum Dei & hominis, hominem CHRISTVM IESVM, *qui se dedit precium redemtionis pro omnibus. Cum hic igitur se dederit pro natura humana obnoxia exitio, & eripuerit nostrum genus ex malo, quibus oculis alterum intueri, aut qua cogitatione ad alium conuerti hominem possit quisquam, discedens ab vno Deo & homine Christo? Discedit autem sine controuersia, quisquis fiducia aut spe accedit ad alterum quemcunque quasi illum intercessorem aut*

suppli-

supplicem habiturus pro se ad Deum, qui omnino Mediatorem quærit inter se & homines. Quod igitur prorsus refutanda sit illa quæ rectæ sententiæ Christianismi inculcatur intercessio, & medij interpositio aliorum hominum præterquam vnius hominis veri, & eiusdem veri Dei Domini nostri Iesu Christi, cognoscere plane poterit aliquis ex ijs quæ dicta sunt. Cum præsertim sancti patres, qui doctrinæ suæ commentarios reliquerunt, & sententiam inuocationis & hoc celebrauerint: Applicandam esse nulli alteri intercessionem & supplicationem pro hominibus, nisi Dei verbo et filio. *Quamobrem* caute & *circumspecte audiendæ sunt mentiones seu memoriæ, quæcunq; tali quapiam figura appositæ fuerunt publicis in Ecclesia precibus, haud quaquam hoc constituere & ostendere volentes, quod inde excepit postea concreta morum prauitas, non modo angelorum sed eorum quoque, qui aliquando homines fuissent, cultui insistens & temere inflata, secundum scripta ad Colossenses, a mente carnis, & non retinens caput, qui est Christus. Atque tradiderunt veteres, fuisse olim quosdam qui docerent, quod nos tanquam indignos vt accedamus ad Christum, oporteat aduocare angelos. Nos vero nouimus, quod recens error angelorum intercessionem, sanctorum hominum intercessione quasi phalangem corroborans, eandem attulerit rationem.*

Quod

Quod autem recte sentientes patres solam Christi mediatoris intercessionem admiserint, auersantes alias cunctas non esset difficile planum facere adductis pluribus, sufficere autem poterit expositio vna, quam de ijs quæ ad Iohannem Chrysostomum referuntur, descripsimus, Hæc: Homines enim in egestate orantibus, cum impendijs pecuniæ, tum seruili assentatione opus est, & ambitione atque negotio multo. Non enim recta Dominis ipsis gratiam tribuere, & sæpe ne verba quidem facere licet, sed necesse est prius ministros & dispensantes rem familiarem illorum & curatores tam re quam verbis omnibusq; modis captare, & ita demum per hos petitionis compotes fieri oportet, sed de Deo res ita se non habet, nõ enim ille eget ijs, qui medios se interponãt, cum aliqui petunt, neque tam alijs rogantibus, quam nobis ipsis orantibus gratia sua annuit. Hæc est expositio Chrysostomi. Vbi vero ait: Non egere Deum ijs, qui se medios interponant perspicuum est, consideratione eum multorum mediatorum exclusa, vnam constituere mediationem verbi & filij Dei, damnantem suffragio suo inane studium vaniloquij eorum, qui non vnius solam intercessionem ad Deum sed plurium circumspiciunt, quomodocunque sane quærant ornare & veluti fucum illinere fallacibus assertionibus mendaciloquij. Quorum aliqui decepti-

onem

onem istam hoc etiam monstro cumulant, quod docent ad quidnam singulos quosque sanctos inuocare profuturum sit, vt victoriæ adiutorem Georgium, vt pestilentiæ auerruncatorem Rachasium, vt dentium dolores sanantem Apolloniam, vt porcorum curatorem Antonium. Quæ iamdudum vt opinor, ridicula videntur ijs quoque qui quæstum hunc instituunt. Quod quidem leues aliqui, qui visis quibusdam seu imaginationibus facile mouerentur, occasionem habuerint fortasse cultus istius, quem hominibus tribuerunt, illas iactatas & temere creditas curationes morborum & alias quasdam prosperitates vitæ, probabile est. Verum ex hoc fonte, superstitionis inquam, quæ initio non retunderetur, sed procederet ad incrementum, & fluxit & fluet semper multiplex & vesanus error. Qui in præsentia sero ille quidem coarguendo tamen reprehensus vna cum fabulis suis defluxit. Cum igitur adeo manifesta sit falsitas, vt cæcus quoque palpans, secundum Homerum, dijudicare eam possit, litiget sane, si cui videtur, amplius de illa, contendens pertinaciter aduersus ea de quibus recte sentientes concordant. At nos talem consuetudinem non habemus. Absitque, ô Christe dilecte, vt habeamus (qui veritatis titulum propria voce tibi tribuere voluisti) Neque enim habet Ecclesia tua. Sed

(non

(non enim forte huc quadrat ista disputatio, & nos iam ante de his aliquid diximus) ad cætera hinc pergamus quæ proposita sunt.

QVODNAM TEMPVS QVIQVE locus idoneus ad precandum.

De tempore autem quod maxime aptum esse dixerit aliquis precibus, definitio facilis est, si cogitemus quæ à beato Paulo scripta sunt ad Colossenses, in quibus iubet strenue permanere in precatione vigilantes in ipsa, in gratiarum actione. Idem scribens Thessalonicensibus, inquit: Sine intermissione precamini, in omni gratias agite. De loco autem, ait in Epistola ad Timotheum: Volo igitur precari viros in omni loco tollentes manus puras sine iracundia & dubitatione animi. Vt enim fidei vsus nusquam circumscribitur temporibus aut locis, & vbique ac semper firmæ salutis exhibet certam copiam Christianis, sic etiam precatio, quæ nititur & fulcitur fide, libere à pijs ad Deum ventitat, tam tempore illa quam loco nullo inclusa aut alligata. Consentaneum vero est preces publicas peragi & Psalmos atque hymnos decantari in ædibus ad hoc apparatis, quæ ideo etiam Precatoriæ sunt nominatæ. Neque est alienum ad hanc actionem tempus quoq; definitum conuentione quadam constitui

stitui edicendo. Veruntamen tempus precationi familiariter congruens siue publicæ seu priuatæ, est matutinum. De ordinatione vero omnium horum videbit semper pia sententia præsidentium, vt cuncta cum honestate & ordine gerantur. Atque re ipsa iam ordinata, siqui diuersum senserint, etiam illud Deus reuelabit. Cæterum de necessarijs seruetur præceptum in epistola ad Philippenses, hoc : Eadem incedere regula, idem sentire.

PRO ET DE QVIBVS PRECANdum, & sitne pium precari cum conditione.

Pro quibus vero & de quibus Deo ita precemur vt ipsi placeant preces, docuit Apostolus scribens Timotheo, Hoc modo : Hortor igitur omnium primum fieri orationes, precationes, intercessiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & cunctis qui in eximio statu sunt, vt placidam & quietam vitam degamus in omni pietate & honestate. Hoc enim laudabile & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire. Et scimus Domini esse mandatum, vt precemur pro contumelia afficientibus nos. Sed quomodo ait Dauides? Psalmo 51. Deus euertat te in finem, euellat te & transferat

te extorrem à tabernaculo tuo, & radicationem tuam è terra viuentium. Et Apostolus Paulus: Alexander faber multa mihi mala exhibuit, reddat illi Dominus secundum opera ipsius. Dicimus igitur, solutionem indidem sumi posse, praecedente scilicet causa: Quod potens glorietur in prauitate, itemq; sequente, de impiae & petulantis libidinis superbientium & elatorum corde, vindicta ad exemplum iusti iudicij Dei: Vtq; confirmetur timentium Deum persuasio, tam de respectu tempestiuo, quam cura perpetua ipsius. Sane istiusmodi loca scripturae accipiemus omnia secundum explicationem, quae est apud Iohannem, *inquit enim ille: Est peccatum ad mortem,* non *dico vt de illo oret. Omnino igitur necesse est eum qui precatur pro salute alterius, simul compraehendere petitionem contra vim & contumeliam & iniuriam eorum, qui in impietate insanabili morbo laborant, neq; desinunt calces stimulis impingere, aduersando, cum ipsi mortales sint, Deo praefracte & audacter. Primum igitur tunc precantes Deum petimus quidem quasi in acie eum stare aduersus hostes, neq; pati sanctum nomen suum conculcari, deinde vero oramus supplicantes Deum pro propria aut aliorum conseruatione, & vt liberemur à malo, atq; consequenter vt refringatur violentorum impetus, ita conuertitur tunc necessario precatio etiam contra aliquos. Praeterea*

scimus,

scimus, quod Christus, qui venit vt solueret opera diaboli semper precandus sit, vt depellat impressiones diabolicas, vtq; tandem diabolum ipsum deuictum conterat subter pedes nostros celeriter. Ipse vero diabolus hostis capitalis Ecclesiæ, omnem, vt aiunt, lapidem mouet, & armat eorum qui sibi obsequuntur, manus voluntatemq; aduersus ecclesiam. Cum ergo ille contra pios vtatur tanquam instrumento & maleuolentia & potentia nocente infidelitatis, nostrum est scilicet, vt illos ipsos hostes quoq; conemur percutiendo gladio precationis in fugam vertere, atq; profligare. Atq; confidimus sic satis esse demonstratum, Esse precandum pro omnibus, sic tamen vt necesse sit etiam contra aliquos precibus vti, nimirum eos qui superbiunt, & despicientes alios impij sunt, ne inueniamur ij qui approbent iniusticias, De quibus vero precemur ita vt preces Deo placeant, ipse Deus plane demonstrauit, expositis capitibus Christianarum precum vniuersis: quo pacto neque quicquam ex necessarijs omittat aliquis, neque connectendo futilia temere obstrepet Deo, neque iam locus relinquatur quæstioni: Quidnam precari debeat aliquis, quod & velit Deus, & expediat ipsi? In qua moratus est, cum Alcibiade nugas agens siue Plato seu Xenophon. Nam ille Dialogus incerti autoris perhibetur. Inuenitur autem secundum hæc, quod

etiam illa admiranda Lacedæmoniorum precatio sit inaniloquium, quæ petit: vt Deus det honesta vna cum bonis. Quemadmodum & poeticum istud nugatorium existimari meretur, quod iubet: Bona quidem tam precantibus quam non precantibus dare Deum, sed mala à precantibus propulsare. Lusus enim iste fuerit, aut nescio quid etiam perhiberi ab aliquo possit. Nobis autem & mandatum planum est propositum, quod diserte iubet precari, & nostræ petitiones ad Deum vt innotescant, præcipitur nobis. Sic enim non natabit in ore orta petitio, *sed procedet corde interiore, non tamen freta, aut* nitens propria *iusticia, sed tanquam quisquilias hanc abijciens, & appræhendens solam Christi iusticiam, & sustentans se misericordia miserationum mitissimi Dei, Nequis tanquàm Chrysæus aut Thebæus sacerdos enumeret inter precandum, quid Deo benefecerit sacrificijs aut ædificijs, sed vt pœnitendo & resipiscendo de præteritis peccatis, & conscientia pura tam tempore quam negotio præsente, bonam spem habeat, & placituras* Deo *preces suas, & se quod petierit adepturum esse. Neque tamen existimandum alienam rem esse à pietate, mentionem quoque facere tam apud se quam alios eorum, quorum animus recordans indistractius precibus operam det, qualia fuerint & pietatis opera bona secundum mandata diuina, si*

na, si quando præsertim iniuste premamur. Quemadmodum alicubi & Dauides petit, vt Deus iudex sibi esse velit secundum iustitiam suam. Non tamen fiat tale quicquam, tanquam ab exprobrante aut ostentante proprias virtutes, & laudabiles actiones, sed animo simplice conantis cum sibi ipsi tum aliis persuadere, & quod obœdiat verbo diuino, & vereatur delinquere volens, aut facere quicquam quod contrarium sit Deo & in quo accusari ipse à conscientia sua posset. Atque ita sane precantes, nequaquam sumus à voluntate diuina aberraturi, neque periculum erit ne tales petitiones petamus quas non dubitemus fortasse paulo post rursum deprecari, perseuerabimusq; in religiosa pietate, ratione præditum Christianorum sacrificium sacrificando continue. Reliquum est de precibus quæ cum conditione seu exceptione fiunt, dicere aliquid. Erat enim quarta ista ex propositis quæstionibus.

DE EO AN PIUM SIT CUM conditione precari.

Videtur sane hoc fecisse Leprosus ille apud Matthæum, inquiens: Domine si volueris, potes facere vt mundus sim, qui etiam mundus factus est. Nunquid igitur Deo placet hæsitatio, & tale quippiam est id quod à Dauide dicitur. Si inue-

nero gratiam in oculis Domini & reducet me? At eſt hoc contrarium præconio fidei, iisq; quæ diximus, quod oporteat fidem Chriſtianorum diſceptationis eſſe expertem. Eſſetq; ridiculum docere aliquem precari cum diffidentia, cum præſertim ſcriptura iubeat: precari in fide nequaquam diſceptantem. Nam diſceptans ſeu dubitans, inquit, ſimilis eſt procellæ maris agitatæ ab impellentibus ventis. Dicendum igitur eſt, quod imbecillitas humana & diſtractio curarum efficiat illam ſane hæſitationem cum dubitatione de euentu. Eſt autem hæc fidei labes quædam qua non nunquam perturbantur ſanctorum quoq; corda, aduerſus quam ii, quibus pietatem colere & conſeruari eſt propoſitum, ſine fine bellum gerunt & perpetuo dimicant. Victa enim diffidentia penitus, iam certamen reliquum eſt nullum cum peccato. Atque ſunt iſta inexpertis ignota. Non eſſe autem iſtum manifeſtæ impietatis mortiferum morbum, ſed ægritudinem adhuc ſanabilem religioſorum, etiam hinc cognoſcere liceat, quod qui eo tenentur, quamuis quod petunt non aſſequi ſe opinentur, non deſiſtunt tamen à precibus, neque minus aßiduam orationem continuant, opponentes qualemcunque ſane fidem ac ſpem cunctis quæ augent armando puſilli animi affectionem ad hoc efficiendum, vt perculſi ipſi metu fruſtrationis, omnem cogitationem precandi deponant.

ponant. At filius Dei *saluator Iesus Christus, qui miserator est & abundans misericordia, & scit simul affici nostris imbecillitatibus, haudquaquam confregerit conquassatam arundinem, & linum fumans minime extinxerit. Dauides vero insuper se etiam abijciens super robustam manum Dei, quamuis esset in tentatione & cruciatu horribili, & cogitationibus, vt videtur, distractus, non ipse tamen producitur tanquam turbatus dubitationibus diffidentiæ, sed proponitur omnibus exemplum obœdientiæ nihil disceptantis seu dubitantis. At enim pusilla seu modica* Fides peccatrix *est,* Deus autem peccatores *non audit. Ad* hoc *aliquis, vt puto, responderit, Non prorsus vacare illam modicam Fidem peccato, dignari tamen venia in religiosis & effugere condemnationem & consequi misericordiam Dei, vt iam ij qui peccatum habent, non sint peccatores, quales quidem Deus auersatur, sed infirmi, quibus manum porrigit misericordia, & quos dum truduntur & sternuntur ad lapsum, sustentat. Sed quo pacto Christus precans conditionem fert? Si vis, inquiens, transferre poculum istud à me. Hanc nimirum eximiam rem esse statuendum, quæq; accuratiorem requirat explorationem. Est autem illa quasi sententiæ rogatio de æterno consilio salutaris* operis *redemtionis nostræ. Caro vero sine peccato* illa *quidem metuens, & veluti*

subterfugiens instantis cruciatus atrocitatem, adhuc percontatur de decreto, & diuino consilio: An omnino & tunc & tali modo omnia peragi oporteat, & nihilo tamen minus diuinæ voluntati sese subijcit. Atque sunt hæc eiusmodi, vt contemplationem habeant sublimem, neque est illorum vulgaris tam cogitatio quam disputatio. De quibus vt in præsentia, satis. Quod si quis putet hoc loco mentionem faciendam de ijs quoque quæ proprie vota dicuntur, is sciat, habere ea petitionem quandam semper coniunctam cum voluntaria obligatione, *& promissionem quasi* pacti conuenti legitimi, vt sine conditione *illa non sint, sed alia quædam conditio* hæc est, *quam ea quam nos auersamur, dubitationis & hæsitationum.* Vt *Iacob vouit in* 28. *capite Geneseos. De his autem & prius dictum aliquid, & modo plura implicare huic tractatui non aptum est.*

DE EO, VTRVM EXAVDIANtur preces an non exaudiantur.

Quod igitur placeat & grata acceptaq; sit Deo fidei precatio, ipsius mandati, nostræq; obœdientiæ causa, dictum est. Neque locum hic dubitationi & ambiguitati relinquet vllum quisquam. De ijs vero quæ pro tempore petimus, optimum fuerit, euentus quidem vim permittere Deo, vn-

de ille

de ille pendeat, sed nihilo minus retinere fiduciam quod exaudiantur, quamuis non statim ipsum annuere sentiamus. Errare enim nos aliquantulum animo nonnunquam petentes, non est mirandum, cum, secundum Basilium, etiam Christus pauens, petierit vt transiret poculum illud, & mox petitionem correxerit addendo: Ueruntamen haud mea voluntas, sed tua fiat. Et petitio filiorum Zebedæi accusatur tanquam petita imprudentius. Et ipse Basilius distinxit ista hoc quodam modo: Non exaudiri interdum preces, vel quod petamus nos aliquid parum consonum diuinæ voluntati. Uel quod opus sit perseuerantia & intentione. Uel quod correctio & diligentia quæratur. Haud ille sane, vt opinor, aliena hæc enumerans. Sed maximam caussam cur non exaudiantur preces, afferri conuenit, eorum qui orant discordiam. Nam si duo, inquit Dominus, vestrum concordauerint in terra de quocunque negotio, quod petierint, id continget ipsis à patre meo qui in celis est. Et est hoc etiam loco non allegoria vlla, sed contemplatione tantum nobis opus. Nam Christiani in preces vnanimiter per simplicitatem incumbentes omnino exaudiuntur, de quibuscunq; orauerint credentes. Non enim certe, siquid non est concessum eis petere, aut de ambiguis, orare credentes poterunt. De quibus vero precantes considerate orationem vsurpaturi,

vtq; exaudiantur futurum esse videatur, Dominus ipse capitibus quibusdam complexus est, quemadmodum mox dicetur. Meminisse autem debemus vbiq; precantes de spiritualibus, id est pertinentibus ad salutem nostram, quod habemus mandatum: Credere Euangelio, neque excipiendum hic est quicquam vllo modo. Precantes autem de corporalibus & necessarijs ad vitam degendam, cogitabimus scilicet semper, nos esse cruci subiectos, id est impositam nobis necessitatem perpetiendi iniucunda multa. Sic enim conglorificabimur si simul etiam passi fuerimus. Et Apostolus Paulus iustiiciam ex Deo in fide conciliare *vult etiam communionem passionum* Christi ijs, qui *conformentur morti ipsius, quemadmodum de se scripsit Philippensibus. Quamobrem idem Thessalonicensibus scribens ait: Pati ipsos pro regno Dei, indicans & hoc: illam ibi æternam quietem pro his hic afflictionibus retribui. Quod si tentari oportet fideles, vt exitus sequatur, & relinquatur locus cognitioni Domini, qui nouit pios ex tentatione eripere: Non debemus scilicet per ignauiã cessare à precando: vt liberemur à malo, quamuis successum non statim sentiamus: Quemadmodum sanctus Paulus, ter ait inuocasse Dominum, vt discederet à se ille alapas infligens, & se audiisse: Sufficit tibi gratia mea. Nam potentia mea in infirmitate perficitur.*

PRO-

PRONVNTIATIONEM ET INtelligentiam requiri in precibus.

Quod ſane non propter vocis intenſionem, neque omnino propter expoſitiones precantum, exaudiantur orantes, ex iis quoq; patet, quæ Dominus inquit, Moſe nihil loquente ſed intimi cordis gemitibus interpellante ipſum: Quid clamas ad me? Et Annæ precantis de filio, mouebantur labia quidem, non exaudiebatur autem vox loquentis in corde ſuo, & exaudiuit ipſam Dominus. Et battalogiam ſeu multiloquium non admittit Chriſtus. Nihilo tamen minus aſſuefaciendi & eo deducendi ſunt qui ad religioſam pietatem inſtituuntur, vt pronuntient expoſitiones precum, vtque prolato ſermone innoteſcere ſtudeant Deo petitiones ſuas. Simul vt & cogitando & loquendo attentius animaduertant quid agatur, ſimul vt ipſo ſermone declaretur, quod ſola quoque cogitatione recte precari ſciant. Nam tacitæ preces non ſunt vulgi, atque adeo perpaucorum. Neque cadunt hæ ſub præcepta doctrinæ, ſed res eximia ſunt, quæ eſt etiam in Spiritus ſancti potentia miraculorum efficiens. Quæ vero conſuetudine quadam qualicunq; aut ordinatione preces vſurpantur, aut hymni cantantur, neque percipientibus aut intelligentibus quicquam iis, qui pronunciant, quid dicant,

cum

cum auditores interdum penitus imperiti sint eius linguæ, qua precatio emittitur aut concinitur hymnus: De ijs non est opus in præsentia quærere, cum quidem vbique fere sic administrentur ista, vt neque Deo grata, neque hominibus vtilia sint, neque quemadmodum decebat in Ecclesiá Christi, gerantur, cumq; magis sit eiusmodi ista actio, vt sanctus Paulus prohibuerit, vbi de dono linguarum scribens Corinthijs, iubet addi interpretationem ei quod lingua memoratur, aut silere in Ecclesia loquentem. Atque verba ille quidem facit de diuino dono *sancti Spiritus, multiplicari & abundare in* Ecclesia hoc *non volens, propterea quod ipsa inde minus vtilitatis* percipiat. *Nos vero scimus, quæ nunc vsurpantur, reliquias esse ordinationum humanarum, quam longissime ab instinctu Spiritus sancti recedentia, quæq; peraguntur sine intelligentia & ædificatione, non etiam nunquam turpiter simul & impie clamoribus tinnitibusq; cantus humani, & sonis atque vocibus organicis, tam contra apostolicas ordinationes, quam sanæ doctrinæ consentaneam rationem. Verum de his differere, non fuerit huius institutionis. Videant igitur tam de istis quam alijs manifestis in Ecclesia delictis, & profana audacia, ij quorum interest, cum præsertim ista amentia iam pro cultu habeatur, ne forte diuina ira à non pœnitentibus neque resipiscentibus*

tibus

tibus irritata, perueniat in ipsos in finem. Nos *vero de publicis precibus quod lingua precans non intelligentibus aliis, habeat mentem infructuosam, didicimus ex scriptis ad Corinthios. Quod si ne ipse quidem, quæ dicuntur, intelligat, mirabor audere aliquem perhibere, precari talem. Siquidem precatio est oratio studens innotescere Deo orantum petitiones in Domini Iesu obœdientia ac fide. Quales erunt autem petitiones expertes intelligentiæ & considerationis? Atque hæc quidem non sunt eiusmodi vt controuersiam aliquam recipiant, sed tanquam labes efficacitatis precum recusanda, & vt pestis pietatis fugienda sunt religiosis, non secus atque barbaricorum verborum ignotorum & inexplicabilium, tanquam plus valentium, abusiones. Non enim talia sunt orationis precantis, sed magicarum præstigiarum opera:* De hymnis *vero scripsit Apostolus Paulus Colossensibus ista: Ad gratias agendas promti sitis. Sermo Christi habitet in vobis opulente in omni sapientia. Docentes vosmetipsos psalmis & hymnis & carminibus spiritualibus in gratia, cantantes in corde vestro Domino. Ex quibus manifestum fit, quod hymnorum quoque cantus & voce quæ plane intelligatur, & sententia accommodata iis quæ canuntur, peragi oporteat in conuentibus Ecclesiasticis. Sed de his hactenus locuti, de cætero persequemur capita*

edictionis dominicæ, dicturi de ijs quæ Dominus dederit. Recitet igitur aliquis illa.

PVER.

Pater noster qui es in celis. Sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, vt in celo sic super terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita, seu peccata nostra, quemadmodum & nos dimittimus debitoribus nostris, seu, etenim ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne inducas nos in tentationem. Sed libera nos à *malo. Quia tuum est regnum &* potentia & gloria *in sęcula, Amen.*

CATECH.

Hæc est, quam edocti sumus à Domino Iesu, & propterea Dominica nominata precatio seu oratio, compræhendens petitionum capita sex aut septem maxime. Quod autem in fine adiectum est, id non esse dominicæ vocis ordinationem sed additionem presbyterorum, qui in ministerij executionibus & pronuntiationibus publicis, sic finirent precationem, cognouimus esse traditum. Habet hoc tamen & piam sententiam & verbis præclarissime profertur. Itaque recte fecerimus si nequaquam pigeat nos & hanc quasi coronidem celebra-

celebrationis applicare expositioni precationis. Repetendo igitur prima dicimus, cogitandum esse non modo de quibus oremus, sed quod precantes admoneamur, & quibus studendum, & quæ custodienda sint, vt perseueremus in cura diligentiæ cũ pietatis ad Deum, tum vitandæ ignauiæ benefaciendo. Vt cum dicimus: Sanctificetur nomen tuum, cogitare simul debemus, quo pacto Deus velit sanctificari nomen suum, & in quibus non sanctificetur, vt conuertamur ad studium sanctificandi illud, & fugiamus contaminationes. Pariterq; & de cæteris petitionibus considerabimus & quid petatur, & quid vbique subijciatur, quemadmodum dictum est.

DE COMPELLATIONE IN precibus.

Nunc vero tempus fuerit, post ea quæ dicta sunt de generalibus precibus, videre singulatim de capitibus Dominicæ orationis, vbi perquæsiuerimus prius de initio, quomodo hoc dictum sit. Pronuntiet igitur illud aliquis recitãs memoriter.

PVER.

Pater noster qui es in celis.

CATECH.

Si vni-

Si vniuersa quæ petere Fideles debere Dominus præcepit, & nostris vsibus necessaria & digna regno celorum (in quo statum Christiani suum habent) his capitibus compræhenduntur (quemadmodum persuasum nobis & verum est) siq; nos precari oportet attento animo & nequaquam ociosa cogitatione: Manifestum hinc scilicet sit pijs in hoc elaborandum, vt his accommodent tam à prioribus describendo traditas preces, quam siue nostras seu aliorum religiosas commentationes formularum orandi. Initio autem omnes cogitabimus etiam de eo quem compellamus, Et qui ille sit, & quomodo erga nos afficiatur. Sane quod & antequam inuocemus Deum ipsum beneuolentem habeamus, & cupidum adiuuandi & beneficij aliquid in nos conferendi, Christus ipse indicat docens discipulos suos: Quod celestis pater nouerit quibus opus eis sit ante etiam quam petant. Nouisse autem Deum quibus opus sit credentibus, id annuere eum petitionibus quoque ipsorum, policetur, patris ordinata compellatione. Quis est enim Homo, inquit Dominus, A quo si filius ipsius panem petat, qui illi lapidem præbeat? Et est dictum planissime: Datum iri petentibus, & quærentes inuenturos esse, & fore vt aperiatur pulsantibus. Hoc igitur loco colligendæ sunt primum omnes scripturæ subijcientes aliquid de miseratione & misericordia

Dei.

Dei.Cuiusmodi cum aliæ sunt quam plurimæ, tum inprimis Psalmi 129. *consolationes, præsertim si quis peccati onus sentiat. Ibi enim Propheta primum plena persuasione de misericordia & benignitate Dei, corroborat fidem, & excitat spem, vt iam confidenter precetur Deum propitium, neque magis auersantem peccatorum petitiones, qui timentes & pœnitentes inuocant ipsum.* Non *prius enim clamaui, inquit, pauens & anxius, teq; inuocare ausus sum & orare me exaudiri, quam scirem te esse miseratorem & veniam dare delictis, non imputando illa nobis miseris propter misericordiam tuam. Atque nunc coram te apparere & stare possum fretus promissionibus tuis & alliciente me atque stabiliente verbo tuo, Habeoq; bonam spem per omnia, sciens esse peculiarem tibi misericordiam, & multiplicari apud te abundantem redemtionem, & quod redemturus sis populum tuum delendo peccata ipsius.Huiusmodi multa alia in Propheticis maxime libris inuenient quærentes, habebuntq; materiam splendidam meditationis, de qua loquimur, vtilitatis & pietatis plenissimæ.* Ne *autem non modo à sententia & affectione Dei erga nos, sed ab ipso etiam Deo aberremus, reminiscemur tam de prædictis quam vndecunque excerpentes, eorum quæ Dei veri cognitionem constituunt. Quem verbo ipsius edocti sumus: Esse*

Deum vnum, qui in tribus personis seu hypostasibus cognoscitur, & colitur, & glorificatur, & adoratur. Hic igitur non solum qualem quendam, sed omnino quem in essentia compellemus Deum, cordi curæq; nobis erit, vt cogitatione & elocutione distincte et dilucide, et perspicue designemus et circumscribamus compellantes hoc quodã modo.

Omnipotens, immortalis, æterne Deus, viuens & regnans sine initio & fine, pater Domini nostri Iesu Christi: Qui declarasti te nobis benignitate immensa, & locutus es de filio tuo Domino nostro Iesu Christo: *Hic est filius meus dilectus, ipsum* audite, factor & creator *vniuersorum, saluatorq; & protector, vna cum* coæterno *filio Domino nostro Iesu Christo. Qui declaratus est & cognitus Hierosolymis, & tecum regnat semper, vna cum spiritu sancto effuso in Apostolos: Sapiens, misericors, liber, iustus, fortis, sanctus: Qui dixisti: Viuo ego, Ego Adonai Dominus, non volo mortem peccatoris, sed conuerti impium à via sua & ipsum viuere. Et rursum: Non volo mortem impij, sed vt auertatur à via sua mala. Et rursum:* Inuoca me in die *afflictionis, & eripiam te, & glorificabis me: Oro te, qui vnus es verus Deus, miserere mei, propitius redditus propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum. Quem benigna voluntate tua fecisti victimam & hostiam pro peccatis*

peccatis, & mediatorem atque intercessorem solum: Sanctifica, guberna, dirige manu tua, emenda omnes vires animæ & illumina cor meum, accendens in hoc ignem intelligentiæ, per spiritum tuum sanctum, vt eluceat in me cognitio tui vera, & fiducia in te, cum inuocatione continua, & fide infracta, & intenta gratiarum actione, cum obœdientia non disceptante seu dubitante, & non simulata humilitate. Præses sis, protegens & potentem manum tuam extendens supra Ecclesiam tuam semper, secundum promissionem, quam dixisti: Istud eis testamentum seu pactum, spiritus meus qui est super te, & verba quæ dedi in os tuum, nunquã deficient ex ore tuo, & ex ore seminis tui: Facito vt luceat semper lux Euangelij in nobis. Corrobora nos in veritate docens & custodiens sinceram mentem nostram, & animam totam, ne elidamur vnquam veluti in Syrtes quasdam dementiæ Epicureæ, aut alias quascunque furiosas opiniones & absurdas nugas. Doctrinam autem communem in Ecclesia conserua puram & illabefactatam, & protege status publicos qui conciliant hospitia in terra Ecclesiasticis cœtibus. Resiste aduersarijs semper, pro miseris nobis tuis ouiculis pugnans cum lupis & leonibus insidiantibus saluti nostræ, fugato et auertito spiritus omnes immundos, mendaces, homicidas, impios, contrarios Christo, & hostes Dei,

 neque

neque patiaris nos vnquam rapi ex manibus Christi tui.

O CHRISTE IESV *fili Dei viuentis, Deus verus, verbum & imago æterni patris, & resplendentia gloriæ ipsius, qui homo factus* es pro *nobis, & passus carne, crucifixus, & viuificatus spiritu, qui resurrexisti & assumtus in celum regnas vna cum patre omnipotente sedens è dextris ipsius, vt des dona hominibus, intercedas quæso, pro nobis, & medium te semper interponas ad patrem. Qui dixisti: Venite ad* me omnes laborantes & onerati, & *quietem vobis tribuam.* Etiam intercedas pro me ad *patrem tuum, & sanctifices me spiritu sancto* tuo, quem *misisti, quemadmodum promiseras, paracletum & tutorem, cum ipse nihilo minus præsto sis & custodias tuos, secundum id quod dictum est: Non dimittam vos orbos: Miserere mei semper pro me intercedens. Dirige me ductor itineris, & largitor integritatis, per sanctum spiritum tuum, & propulsa omnem impressionem diabolicam, quæ per impium mendaciloquium & vanæ mentis loquacitatem impellit nos, vt allidamur ad impuritatem & contaminationem sanguinis, & alienemur in peruersitate à sola saluifica veritate tua. Spirituum enim ista sunt opera amantium mendacia, & fraudulentorum, & impura petulantia cædibusq; gaudentium, qui incolæ*

sunt

ſunt tenebrarum atque caliginis. Tu vero, ô CHRISTE, *fili Dei, veniſti vt ſolueres opera ipſorum.*

O Paraclete Spiritus ſancte Deus, quem credimus in Apoſtolis diuinitus eſſe effuſum manifeſta ſpecie, & promiſſum ſcimus Eccleſiæ à Chriſto ſaluatore filio Dei, ad accendendam in ipſa ardentem inuocationem eius qui vere eſt Deus, & illuſtrem cognitionem veritatis, ſecundum hoc quod ſcriptum eſt: Effundam ſupra domum Dauidis ſpiritum Gratiæ & miſerationum, & ſecundum teſtificationem beati Pauli: Quod Deus effuderit Sanctum ſpiritum in nos opulente per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum. Excita, quæſo, in cordibus noſtris fidem firmam & efficacem, & ſenſum exquiſitum miſericordiæ, quam nobis Deus pater æternus promiſit per filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Fias etiam nobis paracletus & aduocatus bonus in omnibus cogitationibus & actionibus, adiuuans nos & eripiens ex periculis in quæ incidimus in hoc mundo. Moueto & corda noſtra potentia gratiæ tuæ, vt debitæ obœdientiæ ſtudio æternum patrem, & filium ſaluatorem & te ſanctum ſpiritum paracletum colentes veneremur, vnum ſolum, omni veneratione colendum & adorandum Deum, Amen.

Huiuſmodi quædam præſantes cogitatione ſi-

mul & oratione, ita deinceps singulatim precationem vsurpabimus, quemadmodum tempora subijcient, secundum capitum distinctionem, quæ iam separatim reliquum fuerit percurrere, & contemplari singula. Dicito igitur tu primus, primam pronuntians petitionem.

PVER.

Sanctificetur nomen tuum.

CATECH.

Quomodo oramus vt nunc istud fiat? cum fiat omnino & semper. Sanctus enim est Deus, non ille quidem heri & nudiustertius, vt aiunt, sed cum ante sæcula fuit, tum erit in sæcula sæculorum, pariterq; & nomen ipsius.

PVER.

Tuum scilicet fuerit explicare & hæc, instituentem nos, nostrum vero, præbentes sermoni tuo aures, esse discipulos diligentes doctrinæ tuæ.

CATECH.

Scietis igitur, nihil nos quidem precari pro Deo, quasi ille egeat ista pro se contentione. Ridiculum

culum enim hoc sane sit. Sed precamur ita vt nobis prosint cuncta. Et nunc in nobis eminere diuini nominis sanctificationem oramus, vt Deum verum cognoscamus, & cognitum colamus venerando, seruientes ei secundum verbum ipsius, inuocantes & adorantes & religiose colentes ipsum solum in veritate, & eo, vt praeconium fiat Euangelij & seruetur verbum Dei purum, doctrinaq; sana in Ecclesia, vtq; dicantur & agantur omnia ita vt per ipsa glorificetur Deus, & deceat Deum, fiatq; tota nostra vita & doctrinae ratio, ea quae Christianae fidei professioni addat honorem atque laudem. Significatio autem nominis diuini hoc loco, cognoscatur ex ijs quae de primo & secundo praecepto dicta sunt. Oramus autem simul vt diuinitus omnia aduersantia sanctificationi reprimantur, vel mutatione vel exterminatione, vi aut calliditate aliquid molientium contra sanctum nomen Dei aeterni. Quales sunt audaciae Tyrannicae conatus in hac mundana potentia, & fraudulentae aggressiones malitiae, & omnes errores cultuum simulacrorum, quocunque sane modo & gestu irruperit lasciua ista petulantia in Ecclesiam, praetendens prauae disputationi & impietati mendaciorum sanctum & diuinum nomen. Opportune etiam hoc loco à precantibus inserentur Psalmi et aliae propheticae preces, quae pro pietate religiosa & vero cultu

& contra impietatem pugnantem cum Deo, destinatæ sunt ad Deum, quemadmodum & alijs capitibus ea quæ quibusq; congruunt. Quibus cunctis piorum meditationi relictis, ita pergemus ad reliqua. Atque recitet pronuntiando secundus secundam petitionem.

PVER.

Veniat regnum tuum.

CATECH.

Quando Christus docuit precari discipulos, iam *ceperat regnum Dei in terra quoq; innotescere. Iussit igitur eos orare vt veniret illud gloriose & perfecte. Intelligitur autem regnum Dei, & hic in credentibus, & in celo patefaciente illud Iesu Christo. Precamur igitur vtroque sensu: vt fides & præconium, & euangelicus quidam status apud nos inconcussus permaneat, & augeatur, & perueniat ad alios quoque, vt semper numerus crescat & maior sit multitudo filiorum regni. Et similiter nos gemimus intra nos adoptionem filiorum expectantes, liberationem corporis nostri. Imploramus autem ista precando Deum: Esse eum opitulatorem & saluatorem, & pastorem Ecclesiæ, & opponere suam diuinam atque inuictam potentiam diabolicis impressionibus & insidijs*

insidijs habentibus administros hostes crucis & tyrannidem mundi: itemq; impulsionibus ad impietatem & superstitionem, & omnia quæcunq; turpia & iniqua sunt (vt multiformes inprimis simulacrorum cultus, & superbia, & cædes, & libidinum petulantia atque obscœnitas) &, vt simul dicatur, falsitatis studium & improbam leuitatem, quæ est omnis prauitatis radix. O sancte pater Domini nostri Iesu Christi, & propter eum noster quoque pater, rex vniuersorum, depellas auertasq; atrocitatem malorum istorum, & dirige gubernans mentes nostras sancto spiritu tuo, ne excidamus regno tuo, neu desciscamus à veritate, & transfugæ conferamus nos ad hostes illius, & cum his militemus, aggregando nos ad falsitatem. Quia vero hic regni Dei robur temporibus locisq; quibusdam minus liquidum apparet, & aduentus filij Dei Domini nostri Iesu Christi in consummatione sæculi videtur tardior sanctis, qui & mundi huius contrarium Christo furorem cernunt, & dementiam hominum ægre ferunt, & affliguntur ab administris diabolicæ violentiæ atque torturæ, & anguntur in corde suo dum sentiunt onus peccatricis carnis, & animalis hominis vecordiam: ideo orant regni hæredes, vt & in terra regnum Dei successu & copia hominum fortunetur, vtq; ipse aduersationibus insanabilibus sese tandem oppo-

nat, neque sinat perpetuo tyrannidem aduersariorum et hostium regni sui, prosperitate vti. Atq; sic post commentationem & disputationem de secunda petitione, videamus quid de tertia aliquis meditari possit. Pronuntietur autem & illa.

PVER.

Fiat voluntas tua, vt in celo sic in terra.

CATECH.

Voluntas Dei duplex est. Vna *potentiæ, quæ omnipotens est, & prorsus cohiberi nequit.* Secundum *hoc quod Psalmus canit: Deus noster in celo & terra, omnia quæcunque voluit fecit.* Et *de hac non est opus nos precari quicquam. Verum Dei voluntas beneplaciti, & est ea quæ mortem auertit & confert vitam, vt dictum est, & de ea tradita est petitio. Hæc autem est voluntas eius qui me misit, inquit Christus, vt omnis, qui videt filium, &* credit *in ipsum habeat vitam æternam.* Et *in epistola scribit* Iohannes: *Hoc est mandatum ipsius, vt credamus nomini filij ipsius Iesu* Christi, *& diligamus nos mutuo.* Et *Apostolus Paulus scribit Thessalonicensibus: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Beneplaciti igitur voluntas Dei est, primum*

mum cognitio veritatis. Secundo, Sancta vita & honesta & bona in Christo, abstinendo à carnalibus cupiditatibus, & omnibus quæcunq; aguntur inique & illicite in hoc mundo. Contraria enim est voluntati diuinæ, voluntas carnis & cogitationum in ijs qui veritati non obtemperant, & versantur in vanitate, & eadem voluntas Gentium est apud Apostolum Petrum, vbi ait: Satis nobis est præteritum vitæ tempus, ad perficiendam voluntatem gentium, ambulando in lasciua petulantia, cupiditatibus, ebrietatibus, comessationibus, potibus, & illicitis cultibus simulacrorum. Voluntatem autem Dei sancti angeli in celo promtissime faciunt semper, nunquam aduersantes præceptis & decretis Dei, in terra autem hominum natio & sæpenumero non obtemperat Deo, & obœdit lentissime, quemadmodum & supra iam dictum est. Et nunc hac Christi admonitione docemur, quod velit suos petere, vt fiat in terra quoque voluntas Dei, quemadmodum in celo perficitur. Cum hoc necessitatem habeat in ijs qui salui fieri debeant, sed impleri facile nequeat, atque desideret diuinum auxilium & studium pium timentium Deum & quærentium ambulare in vijs Domini. Reperitur igitur hæc res, de qua iam loquimur, nequaquã futilis aut leuis, ac potius admodum magna ac grauis. Vt enim voluntas Dei spiritualis est, sic &

sic & nobis lucta est, inquit Apostolus, non cum sanguine & carne, sed cum principatibus, cum potestatibus, cum mundi Dominis tenebrarum seculi huius, cum spiritualibus improbitatis in celestibus. Nos vero & carne amicimur, & habemus animam humanam, rem vtramq; infirmam & caducam. Quapropter tempus vigilare, vt attendamus Deum, & caste ac sobrie inuigilemus precibus, secundum sancti Petri præceptum.

Atque hæ tres petitiones sunt primæ tam ordine quam dignitate. Non enim precamur illis de paruis quibusdam aut fortuitis aut momentaneis rebus. sed sunt maximæ istæ, & maxime memorabiles atque æternæ. Primo quidem Dei veri cognitio, quæ sola est scientia atque sapientia Deum colens & salutaris, neque vnquam euanescens. Deinde vero secundo, opus & effectio huius, quæ est sancti spiritus gubernatio. Qui & docet simul omnia, & commouet in Christi fidelibus, cum cogitationes tum actiones honestas & Deo gratas. Tertio, quod consequentis seu accedentis locum obtinet, vt obœdiant & obtemperent cuncti, & parati sint ad inseruiendum voluntati diuinæ studiose, vt & in hac vita in statu quodam versemur, vnoquoque operam dante, vt sit pro sua parte fidelis & diligens, & placide suas res agat ad publicam vtilitatem, &

ambulet

ambulet sicut dignum est vocatione & honeste ad extraneos. Quia vero est necessarium ad vitam in terris nutrimentum, & quæ huc referuntur, præbere & hæc vult amans genus humanum Deus, & caritate suos paterna complectens, petentibus, siquidem prius quæsiuerint regnum & iustitiam ipsius. Verum quo pacto precari de his Dominus mandauit? Dicito tu quartus.

PVER.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.

CATECH.

Iubemur iam nunc precari de publicis & domesticis rebus. Hæ enim quando querela carent, & se bene habent, etiam nutrimentum abunde suppetit, iisdem vero confusis aut labefactatis, statim euestigio egestas & penuria sequitur omnium quæ necessaria sunt ad vitam hic degendam. Conturbant autem ista vulgus maxime, & sunt tristissima tempora tria hæc: Belli, Pestilentiæ, & cibi penuria, seu fames. Et per hæc lædens affligit dæmon improbus & generis humani osor, ad corpus & victum pertinentia, permittente, vt vindictam istam humanorum delictorum, iusto Deo. Quapropter Ecclesia ad misericordiam

Dei confugiens petit, vt necessaria suppeditentur, & auertantur nocentia vitæ huic, morbi, inquam tam animi quam corporis, & detrimenta facultatum, in quæ incidimus, & ab aëris mala constitutione tempestatibusq; ac squaloribus, & humana improbitate atq; violentia iniusta & maleuolentia, nec non à beluis quæ solēt lædere hominum corpora & res. Oramusq; vt Deus præbeat nobis, nutrimentum, pacem, principes bonos, sanitatem, prosperitatem, quietem, liberūm felicem copiam et educationem, & quibuscunq; aliјs florent ac vigent tam publicæ res communiter, quam domesticæ priuatim. Age sane. Verum quid dicimus *significari illo nomine, quod interpretamur cotidianum? An aliud nihil quam suum cuiusque diei nutrimentum. Panem enim scimus proprie censeri humanum cibum. Græcum autem vocabulum quiddam continuum indicat. Sic & Euagrius interpretatus est (aut quicunque alius autor eorum quæ Basilio asscribuntur titulo exercitationum piarum, quæ sunt Ascetica) Hunc cotidianum panem, vt intelligatur commodus panis seu cibus, ad diurnam vitam naturæ seu substantiæ nostræ, non sinens autor ille, hanc curam sibi aliquem permittere, sed volens de hoc interpellari Deum, secundum Dominicum mandatum. Non enim nostri operis (quamuis hoc faciamus) prouentus, sed donum*

istud

istud Dei est. Neque enim conserens est aliquid, neque rigans, sed incrementum dans Deus. Post hæc igitur veniamus & ad cætera. Ac dicito tu quintus, quid sequitur?

PVER.

Et dimitte nobis debita, vel peccata nostra, quemadmodum & nos dimittimus debitoribus nostris. Vel, Etenim nos dimittimus omni debenti nobis.

CATECH.

Dicendum est aliquid hoc quoq; loco, de significatione vocabulorum. Vsi enim fuere hic Euangelicarum expositionum scriptores tribus nominibus, peccati, debiti, & delicti seu lapsus. Si enim, inquit Christus *apud* Matthæum, *dimiseritis hominibus delicta ipsorum, dimittet & vobis pater vester celestis. Est igitur peccatum priuatio recti, seu integritatis, id est frustratio eius quod bene & debito modo se habet, & hæc fuerit scilicet boni seu honestatis euersio. Ducitur autem græcum vocabulum hamartia vel à laqueorum nexibus, qui simul constringuntur (nullum enim est* hoc *vinculo animæ durius) aut vndecunque sane, nihil enim refert.*

Debitum

Debitum autem intelligitur obnoxium quiddam ꝙ fiat aut persoluatur. Delictum vero seu lapsus, erit scilicet erratum aut casus, & offensa quæ fortuito accidit. Atque est iam demonstratum, Eos, qui salui fiant per gratiam quæ gratis contingit mediatore solo Christo Iesu, remissionem peccatorum consequi, & reconciliatos Deo sanguine filij ipsius, pacem deinde ad eum iustificatos habere. Omnino autem necesse est iusticiæ donum applicare sibi vnumquemq; facereq; peculiare fide, præsertim cum nemo careat peccato prorsus, in tabernaculo adhuc carnis *manens. Dicit enim Apostolus: Noui nihil* habitare in me, *id est carne mea, boni. Et Apostolus* Iohannes, Si dixe*rimus: Non peccasse nos, mendacem facimus ipsum. Non esse autem nudam neque simulatam mentionem remissionis, aut gestum fictum humilitatis in adorando, sed turbari hic cor vehementer sciunt experti, & indicat plurimis in locis Dauides. Vt cum ait: Ego vero dixi in excessu meo, abiectus sum à facie oculorum tuorum, propterea exaudisti vocem orationis meæ, clamante me ad te. Et rursum: Iniquitatem meam notam feci, & peccatum meum non abscondi. Et rursum: Propitius esto peccato meo, est enim copiosum. Verum hæc colligent & intelligent, qui non faciunt delicias in proprijs cogitationibus, & quibus curæ est, meditari in lege Domini dies & noctes.*

noctes. Vt autem breuiter & congruentur huic institutioni dicamus, Quoniam iubemur precari de peccatis, duo proponi discemus: Vnum quod sint peccatores illi qui precantur. Non enim profecto præcipitur nobis vt ludamus, sed vt obsecremus tanquam mendicantes, quod patet esse eorum qui rei seriæ student, præsertim Deum implorando: Alterum est exaudiri nostras preces orationis congruentis voluntati ipsius. Additur autem etiam hoc loco pactum conuentum aut ratio subiecta, aut petitio cum conditione. Nam vel de hoc consentimus, etiam nos dimittere debita alijs, vel dicimus: Quod illis dimissis, æquum sit contingere & nobis remissionem. Aut ita demum participes fieri nos remissionis dignum ducimus, si nos quoque complexi humanitate alios, non imputemus delicta eorum ipsis. Neque inserta sunt hæc, vt circumspiciat aliquis viam potiendi remissione per opera sua aut iusticiam propriam. Nam patefacta est per Euangelium voluntas Dei æterna & immutabilis, de reconciliatione & pacificatione & placatione: Quod per sanguinem Christi Iesu solius peracta sint omnia, secundum potentiam Dei qui nos saluos fecit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, inquit beatus Paulus, sed secundum proprium propositum & gratiam datam nobis in Christo Iesu ante tempora æterna, patefactam au-

tem nunc per illustrem præsentiam saluatoris nostri Iesu Christi. Qui vero acceperunt Fide hoc do-*num gratiæ diuinæ, ij debitores iam sunt non magis carnis sed spiritus. Lex autem spiritualis maxime est caritatis, quam & Christi legem vocat Apostolus Paulus. Finis est enim, inquit idem mandati, caritas ex puro corde & conscientia bona & fide non simulata. Cernitur autem euidentissime Christianitatis studium & labor, in eo vt aliquis caritate complectatur alios, & nemini grauis sit, ac potius, benefaciat cunctis,* pro sua parte, *& subleuet vniuersos, in omni mansuetudine &* beneuolentia *& benignitate & æquitatis moderatione,erga populares seu tribules, vel, vt verius dicamus, conseruos in ministerio fidei communis. Et quid hic fiat plane ostendit parabola eius qui deberet decies mille talenta, quæ summa maxima est,& eiusmodi vt à seruo persolui nequeat, nostrate iam nummo aureorum sexcenta millia. Atque ille per misericordiam remissionem debiti obtinet, reuocatur autem paulo post ad supplicium, cum non gessisset se erga conseruum similiter. Si quis vero animo alta & non quæ decet cogitante, curiosus est in dictis & factis diuinis, (cum debeat in timore & trepidatione perficere salutem, & non efferri cogitationibus, sed seruire Deo in simplicitate mentis) Is videat, extollendo se ne deijciatur.*

Elatus

ẽlatus enim inquit Dauides, humiliatus & ad desperationem adactus sum. Os autem humilium meditatur sapientiam. At nos, quandoquidem scimus esse necessariam petitionem (quippe à Domino mandatam) remissionis peccatorum, nequaquam dicemus, posse ad tantam sanctitatem vllum prouehi, vt non magis indigeat Remissione. Scriptum est enim in Psalmo: de hac precabitur omnis sanctus seu pius. Qui igitur non precatur de peccato, haberi scilicet possit impius. Christianis ergo omnis spes semper salutis reposita est in sanguine & cruce Christi Iesu, quamuis sint admodum iustificati. Ac potius in his omnis iusticiæ persuasio ac fides acquiescit in assensione & certa ac plena sententia remissionis per sanguinem Christi. Præterea, si habitat in Christi fidelibus spiritus Christi docens omnem veritatem, secundum oracula diuina, sciunt iam fideles edocti diuinitus, Quod Christus mortuus sit propter peccata, & resurrexerit propter iusticiam ipsorum. Vt is qui non agnoscit neque possidet iusticiam partam morte & resurrectione Christi, haud sane particeps fuerit spiritus CHRISTI. Hancque vt videtur, & Dauides non minimam ob causam, mentione vbique fere facta veritatis Dei, addit etiam misericordiam. Verum (satis enim horum est) videamus iam &

reliquas precationis partes. Ac dicito tu sextus, quæ sequuntur.

PVER.

Et ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.

CATECH.

Nihil prohibet diuidendo ista differere tanquam de duabus petitionibus, vt numerentur illæ septem. liceat tamen coniungendo simul etiam proferre. Oramus autem vt vires & robur nobis tribuatur ad omnes circumstantes casus toto eo tempore quo inquilini hic sumus. Nam euenire vt Christiani in terris tententur, non habet controuersiam. Et prædixit Christus quoque suis, dicens: Futuros eos in odio mundi. Et: Si me, inquit persecuti sunt, etiam vos persequentur. Et Apostolus Paulus: Omnes volentes pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Vocat autem persecutionem Apostolus, non modo illam à cultoribus simulacrorum, sed afflictiones quoque & tentationes. Fieri enim nequit vt belligerans & pugnans quietam agat vitam. Gerendum vero hic bellum est continue cum elata sententia & cogitationibus & cupiditatibus carnalibus. Et lucta nobis est aduersus improbitatem spirituum, & sunt

& sunt terribiles insidiæ diabolicæ, vt angustiæ sint vndique, & impendeant magna pericula, & versetur ante oculos manifestum exitium, nisi auxilium aliquis inueniat adiutus à Deo, nactus sustentatorem ipsum. Impulsus enim, inquit, euersus sum vt caderem, sed Dominus sustentauit me. Et rursum: Si dicebam, labascit, seu motus est pes meus, misericordia tua Domine succurrebat mihi. Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ. Et Christus ipse pronuntiat beatos lugentes, qui consolationem inuenturi sint. Ex quibus scilicet manifestum fit, quod necesse sit, timentes Deum sentire multas impressiones & vehementes. Istæ vero impressiones vtrinque existunt, hinc à tristibus, illinc à iucundis & suauibus, quæ pruritum quendam & titillationem addunt carnali casæ nostræ. Quapropter & Apostolus Paulus cohortatur Corinthios: Ne cui causam offensionis dent, custodientes sese in Dei potentia, armis dextris ac sinistris. Non enim spes esse possit, fore vt resistamus Diabolo, & eum fugemus à nobis, itemque diei malo, vt valeamus confectis omnibus stare, vtq; extinguamus tela ignita Mali: nisi in acie stemus armis Dei vndiq; muniti, quæ sunt apud beatum Paulum, cum quibus proponuntur defensionis arma, gladius nimirum spiritus, qui est sermo Dei per omnem precationem & orationem.

nem. Vt autem in nostra potestate non est, ne offeratur nobis contraria & fœda vel cogitatio & actio, sic auxilio numinis diuini, possumus, vires nobis addente Christo (in nobis enim ineffabilis infirmitas et ingens est per omnia) precando permanere firmi, & adiumento precum repellere incursum, neq; admittentes arridentia iucunda, neq; cedentes tristium horrori. Memoratur autem dictum quoddam vnius ex ijs qui olim à communi hominum vsu recesserunt: Quod vt auicularum supra caput volantum nemo possit sublimem cursum prohibere, cum tamen minime pati possit vt super se considant: Sic neminem esse eum, qui efficiat ne tentationum impressiones irruant, verum ne capiatur aliquis neue impetu illo euertatur, hoc iam esse fidelium opus, precibus depellentium hostiles violentias, & refutantium Deo infestas aggressiones, proferentiumque vt dicitur, lumen, tam sibi quam alijs. Paululum autem in hoc verbo: Ne inducas, insistendum est. Significatur enim hoc non sane Dei quasi impulsio quædam ad mala (cum ille mali autor nulli sit vnquam) sed quod petamus, non negligere illum nos periclitantes ne in mala conijciamur. Quibus illis quidem nos circundamur vndique, tanquam plagis venatorum, non possunt tamen hæ implicare & continere & lædere, non impellente

lente & protrudente aliquo. Hic vero Diabolus est, Malus ille, & aduersarius Christi, & hostis Dei, & osor hominum & impurus Dæmon, vtens simul corrupta carne semper, & anima non amplius sincera, in ijs qui non obtemperant veritati, & adhibent animum mendacio. Et quando oramus: Liberari à Malo, præcipue oramus, nequid valeat in nos terribilis maxime Satanæ (qui Diabolus est) prauitas seu malicia, & secundum hoc: vt omnia quæ corpus aut animum lædere solent (quorum autor & instructor ille est) aut penitus auertantur à nobis, aut minus certe grauiter inferantur. Fidelis autem Deus est, qui non sinet nos tentari supra vires nostras, sed præstabit vna cum tentatione exitum vt egregie valeamus sustinere. Non obstare autem his precibus, id quod scriptum est. Non resistere Malo, iam dictum est. Precari itaque hac in parte hoc quodam modo liceat: O CHRISTE IESV saluator generis humani, tuere nos custodiens & prouidens, ne quando abstrahamur abs te correpti à Diabolo, & deferamur in abyssum impietatis, animum aduertendo ad mendaciloquia, aut polluendo nos quibuscunque sceleribus, aut impuris facinoribus. Illumina corda nostra & dirige mentes, ne vnquam euertamur, siue decepti opinione, seu lapsi infirmitate.

Tu nosti quanta sit imbecillitas naturæ nostræ, sis igitur supplex pro nobis ad æternum Deum patrem, placatum ipsum intercessione tua, vt gubernetur diuinitus mens & omnes vires animæ nostræ, in laudabili animi sententia recte beneq; & vtiliter consulamus de omnibus publice & priuatim. Adde & robur cordibus nostris, vt valeant sequi sancta mandata tua, & obœdire salutari verbo tuo, vt permaneamus ij, qui non sint iræ, sed misericordiæ vasa, ad gloriam Dei & vtilitatem Ecclesiæ tuæ. Libera nos à diabolica tyrannide, & ex captiuitate peccatorum, & ex omnibus malis ac miserijs, & quæcunque causas dant solicitudinis huius vitæ, & ex scandalis publice priuatimq; orientibus, vt liberati ista vitæ degendæ infelicitate atque prauitate, assequamur Gratiæ tuæ diuinum donum: Sapientiam, iustiticiam, & sanctificationem, & tandem hæreditatem adipiscamur beatam vitæ sempiternæ, assumti in conclauia seu mansiones celestes ad te, vbi viuamus semper in gaudio superante omnem sensum in terris hominum, vna cum sanctis vniuersis, apud patrem æternum, & te coæternum filium, Dominum nostrum, & sanctum spiritum: Cui vni soli, æterno, immortali, forti, misericordi Deo, honor, gloria, potentia, robur sit in sæcula sæculorum, Amen.

De gra-

De Gratiarum actione.

GRATIARVM *actio apud Hebræos confessio nominatur. Quia bona & quæ feliciter contigerunt, non sua facit, sed proponit palam effando cunctis quod factum sit, vt glorificetur Deus, qui se præbet opitulatorem, & liberatorem, & beneficum inuocantibus se. Quod si quis is est, qui acceptis beneficijs, omnem ad Deum respectum deponit, siue post bonorum fructus, seu liberationem à malo, illum scilicet minus ratione esse præditum brutis ipsis statuemus. Atque vulgus sane, non esse prouidentiæ diuinæ, sed sponte sua putans accidere, ea quibus cotidie opus nobis est, & quæ adiumenti aliquid afferunt ad vitam hilarius degendam: quod solem aspiciat, quod bona sit valetudo, quod nutriatur, quod in statu reipub. pacato esse, quod artium & maxime doctrinæ eruditæ studia exercere liceat, quod ad amiciendum vestes in promtu sint, necessarij simul honesti ornatus causa: De his inquam & similibus, vulgus hominum sic cogitans, quasi lege consequentiæ cuiusdam naturalis vbique suppetant, vel ne hoc quidem, atque omnino ratione de eis nulla inita: Non persoluit gratiam vllam pro illis Deo confessione sua. Scriptum tamen est, neque solem temere illustrare faciem terræ, neque fortuito imbres in terram*

 decidere,

decidere, sed patrem celestem facere vt sol ipsius oriatur, & pluere supra cunctos simul incolas terræ. Verum istud genus hominum specie & figura tantum à bestijs differens, relinquamus. Quotus autem quisq; etiam ex ijs qui honestiores perhiberi volunt, inuenietur, qui & agnoscat beneficia diuina, & pro his gratias agat ex animo. Est autem sine dubio maximum illorum & illustrissimum edictū, & pronuntiatio hæc verbi Dei, docens nos omnem veritatem, et cognitionem tradens salutarem Dei, qua fiat, vt neq; fallamur fingendo fabulas, de essentia ipsius, neq; aberremus ab eius voluntate. Isti profectò Euangelij præconio nequaquam tribuitur tanta animi grati memoria, quantam meretur magnitudo & pulcritudo muneris, atq; potius apud plærosq; breui admodum tempore, valde illud parui fit. Ac fit quidem hoc modo, quod vtinam non fieret. Est autem hæc causa grauissima pœnarum, fuitq; & erit semper generi humano: Diuinæ miserationis & gratiæ, & distributionis bonorum celestium ignoratio & contemtus, & negligentia gratiarum actionis, & glorificationis siue confessionis pro ipsis. Itaque priuationi horum merito succedunt lacrimæ & lamenta. Nam quia, inquit Basilius, Quando assunt bona collata diuinitus, gratias non agimus, necessarius accidit ablationis sensus. Quod sane apud omnes homines turpissimum semper iu-

per iudicatum sit, non habere gratiam benefactoribus, nemo fere ignorat. Quod si illi improbi censentur, qui erga suum genus ingrati sunt, quanto magis culparit aliquis obliuiscentes beneficiorum diuinorum? Nihil igitur deterius est ista peruersitate animi atque dementia. In quam, mei pueri, cauebimus ne prolapsi cum grauissime peccemus, tum salutari spe penitus priuemur. Pertinet autem ad gratiarum actionem & glorificationem, & cantus hymnorum, cuius materiam abundantem præbere poterunt Psalmi Dauidici, & toti quidam hac forma compositi, & alicubi illam habentes insertã. Id quod constat ijs qui ipsorum studio tenentur. Et vestrum fuerit maxime, qui in doctrina & litteris educimini, tam interpretando illos quam imitando, exercere pia liberalis disciplinæ studia, vt componatis aliquid semp eiusmodi, quod laudem & gloriam Dei celebret. Vos sane, carissimi filij, haud quaquam cessabitis gratias agere & glorificationem persoluere Deo omni tempore: Matutino quidem excitati de somno, Meridiano autem quando capietis cibum, & rursum vesperi ituri cubitum, & iterum alias, secundum hoc quod canitur in Psalmo: Septies in die laudaui te, vsurpante nimirum scriptura more suo, numerũ illum indefinite. Maxime vero persoluenda est gratiarũ actio, cum alicui beneficium eximium quodpiam contigit, liberato à malis,

qui aut

qui aut expertus auxilium in calamitatibus, aut auctus fuit vitæ huius copia bona, non modo vt probatum præclare, & solum memorabile coram Deo obsequium, & beneplacens sacrificium ratione præditum præstetur (quemadmodum decet eos qui & esse Christiani semper, & se perhiberi cupiunt) sed vt alij quoq; exemplo hoc ad idem faciendum suscitentur. Ad istud enim opus & denuntiatæ semper fuerunt Ecclesiasticæ congregationes, & nunc quoque seruari illud ipsum conuenit. Et in his actio quæ primas tenet, Eucharistiæ seu Gratiarum actionis nomen sortita est, & Deo plenus Paulus scribens Corinthijs, simul elaborare vult ipsos pro sese oratione, vt ex multis personis, sibi collatum donum, per multos gratijs agendis celebretur pro ipso. Et rursum inquit: Omnia enim propter vos, vt Gratia abundans per plures gratiarum actionem abundare faciat ad gloriam Dei. Et rursum: Ministerium huius officij non modo complet ea quibus deficiuntur sancti, sed abundat etiam gratias agendo per multos Deo, in ministerij huius probatione. Et scimus Christianorum sacrificium hoc esse vnum atque solum. Si enim sacrificantes persoluere oportet Deo aliquid ab se, si vel fructum aliquem boni prius perceperunt, vel quærunt in posterum consequi: habent scilicet solam Christiani gratiarum actionem, per quam præstare possint

possint opus mercedis pro ingentibus donis Dei, *sacrificando spirituale sacrificium, non de ipsorum excogitatione, sed verbi Dei præcepto, iubente sacrificium istud sacrificari in Ecclesia. De quo &* Dauides: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Poculum salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo. Vota mea persoluam Domino coram toto populo ipsius. Vbi Basilius contemplatus quod hoc loco scriptum est, in oratione de martyre Iulitta, consideratissime notauit verbum retributionis: Quod non dicatur tribuisse sed retribuisse is qui magna dona largitur, quasi ipse non autor sit* Gratiæ, *sed autores remunere-tur, nam accipientum animus gratus reputatur pro beneficio. Et hanc ob causam, vt opinor, in Christianorum olim congregatis cœtibus, oblationes fiebant eleemosynarum. Nam opera caritatis animi grati declarationem non verbo sed re ipsa exhibent.* Et ideo prophetæ *simul & apostolo interroganti: Quis prius dedit ipsi, & retribuetur ei? cum venerante Deum religione responderе aliquis possit, id quod vterque sentit, scilicet, Quod retribuatur is, qui se per obœdientiam humiliat subter potentem manum Dei & est gratus. Non tamen quasi ipse autor inceptorq; sit oblationis alicuius quæ compensationem à Deo mereatur, sed fide habita, & sic locutus, secundum Dauidem, & enarrans mirabilia Domini, & hoc mu-*

hoc munus est, quod pietas Christianorum Deo offert, acceptum semper, & quod nunquam repudiatur, sed eiusmodi, vt & libenter ille admittat, & plenam multiplicium bonorum referat gratiam. Atque hoc loco iam finem imponemus, concludentes institutionis huius doctrinam, precati Deum vt euadat ad bonum nostrum studium, vtque ipsi gratus sit qualiscunque huius descriptionis labor, maxime vero vt prosit puerili, eorum qui in educatione pia enutriuntur, ætati. Quibus & hæc præcipue opera data est, sic quidem, vt ego me inter hos medios collocem, & memoria repetam pertinentia ad rectam sententiam, & veritatem solam salutarem in Ecclesia, quæ confirmatur catholico consensu sanæ doctrinæ ex verbo Dei huic consentaneæ contemplationis. Atque habebimus scilicet formulam Gratiarum actionis in promtu, talem.

O omnipotens, æterne, gloriosissime Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, qui cuncta fecisti creastiq; ab initio, & creata conseruas, vna cum coæterno filio tuo Domino nostro Iesu Christo, qui secundum dispensationem seu consilium incarnationis suæ Hierosolymis manifeste versatus est: & vna cum spiritu sancto effuso in Apostolos: Glorifico, benedico, gratias ago, quod nobis cognitionem tui benignitate immensa præbuisti, bono nuntio nuntiato per æternum sermonem,

nem, & filium tuum, pacis, quique confirmasti fidem Euangelij cum alijs splendidis testimonijs tum resurrectione mortuorum: & quod acquisiuisti tibi populum eximium, Ecclesiam filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui bona voluntate tua mactatus pro nobis factus est victima: Et quod donasti nobis spem salutis, & consolationem spiritus sancti in remissione peccatorum, & à potestate diabolica redemtione, & liberatione ab æterna morte, & promisisti vitam æternam seruantibus fidem & diligentibus te. In præsente autem vita multa & magna beneficia in nos contulisti: primum in lucem nobis productis, deinde concessa pace manente in regionibus quas coluimus, & cibi copia conciliata, & tristioribus calamitatibus, pœnisq; innumerabilibus suppliciorum debitorum delictis nostris, aut penitus auersis, aut placide mitigatis.

Benedico te, ô Christe Iesu fili Dei viuentis, Domine & saluator, qui Deus es nobiscum propter nos, sermo æternus, propter nostram corruptam carnem caro factus, quiq; habitasti in nobis: Qui crucifixus, passus, & mortuus es pro peccatis, & resuscitatus propter iusticiam nostram. Qui liberasti captiuos & eduxisti in lucem sedentes in tenebris ac vmbra mortis, cum apparuisses redemtor, & sol iusticiæ: Quique semper præsto es protegens Ecclesiam tuam, opponendo

nendo te hostibus tuis Diabolis & toti ministerio eorum, neque sinis extingui veritatis lumen in ipsa, neque cessas curare, atque sanare vibices & vulnera illius, & restituere collapsa, per remissionem peccatorum, & indumentum immortalitatis: Qui es & permanes in sæculum mediator & supplex & intercessor pro nobis miseris apud patrem æternum, paratus semper nobis succurrere, & qui nunquam negligendo nos supplantari sinis, neque præfocari a quibuscunq; exitiosorum temporum casibus.

Benedico te cum gratiarum *actione ô paraclete, spiritus sancte, spiritus veritatis, qui consedisti super Apostolis: cum non cessas* accendere *in cordibus nostris diuinæ cognitionis lumen sacrum, qui me erronem, ô munerum gratiæq; largitor, dirigis in vero rationis diuinæ itinere, docens, intelligentia instruens, commonefaciens, præcipiens semper boni quidpiam, & corrigens diffidentiæ cogitationes peruersas, quæ adoriuntur nos, nec non ignauiam modicæ fidei: Qui sanctificas nos ad expectationem aduentus* Domini *nostri* Iesu Christi, *& hæreditatem* regni Dei *in vita æterna.*

Atque Catechesis *veritatis, (quæ sunt initia doctrinæ* Christianæ *) quemadmodum veteres nominarunt, istum nunc finem habeat. Ac doctrinæ seu sermonis celestis prolati ad salutem hominum,*

minum, prima quidem pars, secundum veteres similiter, cohortantis sit & nominetur, quæ conuocat ignorantes, vt, secundum Salomonem, det simplicibus calliditatem, puero autem tenero, sensum. Hic est sermo qui clamauit: Si quis sitit veniat ad me & bibat. Et rursum: Imponite iugũ meum supra vos & inuenietis requiem animis vestris. Secunda autem pars, *omnino erit cognitionis*, de qua conuenienter *institutionis huius modo dictum est.* Atque ita ordine *sequetur Tertia, Actionum scilicet, vt fides non simulata sit efficax per caritatem, hoc nobis* expectantibus, *vt inueniamur* sine macula ac culpa Domino in pace. *Quemadmodum enim non ducimus eos quibus pie Deum colere, & saluos fieri consilium est, inaniter, aut nullis certis argumentis, extra antecedentem itineris ductum verbi Dei, aut* excogitare, aut exercere *aliquid debere, siue animo ad allegorias absurdas se adducente, seu rebus sibi placentibus implicante opinione: Sic etiam cognitionis partem non prædicamus ociosam neq; expertem actionum, aut dissolutam. Neque consentimus ijs qui sanæ doctrinæ de iusticia & sanctificatione, per vitæ quam degunt vanitatem, contumeliæ maculas aspergunt. Ex quibus aliqui (id quod nocentissimum est) doctrinæ refellenti fiduciam propriorum operum (intuendo naturam infirmam & deprauatam, & præferendo omni-*

d bus

bus iustitiam diuinam) acquiescentes, prætendunt hoc non modo ociosæ, sed iam etiam maleficæ vitæ. Nam quod de infirmitate & imbecillitate nostra deq; naturæ tanquam belli captiuitate, quæq; alia hoc modo vere & necessario dicuntur, ad mendaces coarguendos (quales simul homines sunt vniuersi) & conuertendos peccatores pœnitentes ad aspectum lucis splendentis in tenebris, & Deum habendum propitium iustificatos fide, in remissione peccatorum per sanguinem crucis Iesu Christi Domini nostri: Hæc igitur quæ consentaneum in modum hoc loco proponuntur, neutiquam quadrant ad multitudinis non pœnitentis aut resipiscentis proteruitatem, neque eiusmodi fuerint, vt merito excusare, seu prætendere possint cogitationum debilitatem (quæ est excusatio in peccatis) vtque aliquis ista congerendo, defensionem paret peccatorum suorum, aut etiam pigritiæ exceptionem in diuinis præceptis obœdiendo, quasi mandata talia sint, quæ exequi nequeamus. Scriptum est enim: Postquam feceritis cuncta quæ mandata sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quia quod debuimus, id fecimus. Quomodo ergo illud inutile cognoscet aliquis, qui non prius omne studium adhibuerit, vt faceret vniuersa? Quia autem arbor bona producit fructus bonos, & mala malos, sequitur nimirum, sine omni dubitatione, quod non

facientes

facientes bonum, non sint arbor bona, & malefici pariter, quod sint stirps mala. Atque de his supra quoq; dictum est. Vereor autem vel præuideo etiam de similibus coniectura capta: Mundi hic incuriam atque contumaciam, celeriter prouocaturam esse supplicium meritum, quod tandem insaniens in delirando dabit iusto iudicio Dei. Satis enim satis profecto est iniquitatis præteritæ, et ante iam patratorum delictorum, neq; ignoscendum sit, si hæc cumulentur nouis peccatorum operibus. Verum hæc differentur suo loco certius aliquando (volente Deo) à nobis, confecturis epitomen tractatus pædagogici Clementis, & ad lectionem quandam illum commodiorem disposituris. Nunc vero iste libellus hic finiatur, cum Christo Iesu Domino nostro filio Dei patris æterni, cum quo regnat vna cum sancto spiritu, vnus, solus, æternus, omnipotens, inuictus, sanctus, immortalis, fortis, misericors & amator generis humani Deus in sæcula sæculorum, Amen.

LECTVRIS HVNC LIbellum.

Nihil aliud quod spectaremus, propositum fuit studio tractatus huius, nisi hoc, vt celestis veritatis, secundum scripturas sacras, et recte sentientē catholicæ sub sole ecclesiæ consonantē et cōcordē traditionē, cognitio innotesceret q̄plurimis. Et illius

ipsius Ecclesiæ de talibus scriptis iudicium esse solius, & par est, & nos confitentes volumus, nostra omnia subijcientes explorationi & sententiæ illius. Quod quidem curæ nobis fuerit, vt proprietas Græci sermonis conseruaretur expositione nostra, quantum fieri posset, ipsa nimirum res, vt aiunt, ostendet. Quid autem à nobis perfectum sit, ij scilicet, qui ista legerint, decernent. Quos rogamus vt humanitatem adhibere & veniam dare velint, cum ijs, quæ nostram animaduersionem effugerunt, rebus, tum elocutioni simplici, & fortasse etiam alicubi minus accuratæ. Vt autem exquisite vsurpare sermonem Græcum, vt non fallatur aliquis animo & intelligentia de ijs quibus disputationes nituntur, necessarium ducimus, sic admodum studiose censemus fucos orationis de talibus rebus, vt illa comtior fiat, esse fugiendos. Cum autem denuo relegentes hæc scripta, deprahendissemus errata quædam typographica, atque etiam nostra nonnulla, quæ existimaremus corrigenda, & animum aduertimus diligentius, & singulis accuratius perpensis, ita sane nunc quam minime culpabilem editionem huius libelli effici studio habuimus. Obsecramus autem pie religiosos & eruditos lectores, ne parcant nostris notando, si qua putauerint notari debere, vtque adeo alia his meliora & fructuosiora Ecclesiæ Christi conferre velint. Saluator

uator autem & beneficus & amans hominum Deus, Dominus noster Iesus Christus, tribuat incrementum & progressionem expertem impedimenti veritatis sanæ doctrinæ, in venerante Deum concordia tam præsidentum quam populi, vt glorificetur ipse semper vna cum patre æterno & spiritu sancto, vnus solus, æternus, immortalis, fortis, sanctus, misericors Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

CAPITA CHRISTIANAE DOCTRINAE COMmemorata ad pueros.

ADeste mei pueri diuinarum imperiti rerum,
Quorumq; malis fraudibus mundi mentes
suspensæ sunt, (trare,
Semper enim mortalibus animo libitum mala pa-
Deq; his celestiũ discite carmina diuina sermonũ.
Vos enim est maxime æquum hæc nosse omnia.
Primæuos tenerosq; quos nondum probra inquina-
Quosq; Deus amat, & curat præ alijs. (rũt,
In his autem uitam inuenietis incorruptã semper,
Incorruptam, immortalem, magni donum Dei.
Huic aũt referẽtes gratiã vestro hæc reponite in a-
Patris mãdato diuinæ indicatiões sentẽtiæ, (nimo
Deq; qua editi estis vestrorũ cari liberi parentum,
Deq; qua in viuis telluris fruge vescimini,
Primum sane terramq; & celum amplũ superne,
Et defluentes amnes & vndam maris,
Hominumq; genus & bestias terram tenentes,
Celum uolucresq; & aquam pisces intra
Suo verbo æterno Deus est omnia qui condidit.
Et nunc facta solus hæc omnia ordinat,
Neq; temere sinit procedere fortuitoq; ferri,
Aut alios quospiam regere nauem ceu in mari
Negligenter intuens de pauimento diuino.

Sed ipse

Sed ipse semper assistit, ipseq; gubernat,
Manibus tenens clauum, neq; dulcē oculis somnū
Admittens vnquā defessus, potest enim omnia.
Neq; enim profectò æneí plicæ celi nouē vniuersæ
Suum iter conficerent prouolutæ huc & illuc,
Nisi & mens & manus valide ageret creatoris,
Neq; in terræ amœnis flores & segetes sinubus
Pullularent continuò, nisi Deus esset qui cōsereret.
Et consitis fertilitatem incrementaq; præstans.
Verū hic oīa tenens Deus immortaliū consiliorum
Haud infestator est, mi fili, sed miserator, (gnarus
Nō pessundator, non crudelis, sed fidus & bonus,
Qui genus hominū serpentis fallacibus persuasum
verbis, & suis peruersitatibus perditum,
In vitam de interitu rursus restituit misertus,
Neq; sustinuit conspicatus corruptum opus suæ
Effectionis diuinæ, quod ipsius manus elaborarāt,
Vt esset immortalis Dei imago, & legem aliam
Nullā haberet quàm verbo sui cōditoris obœdire,
Vt sola illa facerent & meditarentur animis suis
Quæ pater vult & cupit atq; iussit.
Horum etiā in corde scriptū antea reposuerat, (li
Ac illud obscuratū ab inobœdiētia hominib. exitia-
Rursus tabulis renouauit duabus, vnguib. expri-
Illa proprijs prioris mentis decreta, ne qs (mēs
Ignorantia diceret fecisse hoc, illud neglexisse.
Horum sanè capita per os proferre
Crebro oportet pueros ex animo sic dicentes.

Omnipotens Deus celeſtis edicit hæc cunctis.
Ipſe ego Deus ſum ſolus, & extra me
Nullus eſt Deus, tu autem mihi memento ſeruire
Soli, neque extra numen hunc aliud cole.
Dominus ſum tuus ne nomen ſare temere
Fruſtra in labris aſſumẽs meũ nomẽ ſemꝑ intami-
Sabbata feriari puris memento manibus, (natũ.
Et pura magis ſeruans mente ſacrum diem.
Beatus autem ſuper terra vt ſis multoſq́; annos
Viuas longæuus, caue parentib. honorem detrahas,
Sed ſemper eximie venerari ſtudeto, vt etiam
Bene tuorũ liberûm patri olim natorũ tibi aliquis
Ne cædẽ facito. Ab adulterio caſtus eſto. (faciat.
Ne furare. Ne teſtimonium mendacijs attribue.
Ne alterius cõcupiſcas vnquam iuxta te vxorem,
Oculis improbis intuens & inſidioſo animo
Ardens. Neq; etiam velis omnium quicq̃ acquiri
Tibi eorum, Deus quæcũq; tuo aliquãdo dedit ciui,
Non domum, non agros, bouem, ancillam, ſeruum.
Omnium enim primum malorum cupiditas eſt.
Et ſecundum ſane hæc ſeruata iudex Deus erit,
Nos autem miſeri vanitatibus animi
Cæci et claudi, neq; in bonũ ipſum oculos intẽdere
Neq; ꝑcurrere poſſumus uirtutis uiã ardui itineris.
At nobis bene uult tamẽ ille quanq̃ peccatoribus,
Siquidem auerſamur malum atq; pœnitet nos
Quòd Deum ante carnis poſuerimus voluntatem,
Veniamq́; bonus dat reſipiſcentibus.

Non

Nō enim ait mortaliū velle interitū, sed vt omnes
Sempiternæ participes sint vitæ viuentes melius.
Hæc sanè intellige, atq; in tuo repone animo,
Neq; dolor curæ sit tuæ menti neq; formido,
Spera autem effugereq; malū et melius reperire.
Horū etiā suum dilectum filiū de celi verticibus,
Tibi bene volens demisit testem esse, (obœdiens
Qui etiam tibi non malū cogitans patri verò venit
Virginis sacram in aluum intaminatæ ingressus,
Hæc verò cū cōcepisset, pepit immortalis Dei filiū,
Spiritu ex sancto patris magni volūtate. (missa,
Neq; cuiq̄ quomodo fas est mortaliū vnq̄ viro com-
Verū postq̄ in lucē ꝑduxit Deus suū dilectū filiū,
Mater quidem appellauit Iesum patris mandato
Omnium saluatorem mortalium Christum verū.
Sic sanè Deo genitus (diuina soboles) Hebræorum per terram
Mortale habens corpus atq; naturam, alij quemadmodum nos,
Mandatorum patris memor semper versabatur,
Redimens animas hominum vitamq́; desiderans
Nostram, tenebat enim mors & parca valida:
Quare vt redimeret sustinuit mortem atram,
Crucifixusq́; suam vitam amisit, vt saluaret
Hominum mortalium miserorum genus ex orco.
Quò digressus vinciuit ipsum & ministrum
Infestum fatum illud hostile omnibus mortalibus.
Vinciuit aūt irruptis vinculis armaq; spoliās ademit,

Et enſes & ſagittas validis confregit manibus,
Iniuſtasq; actiones impiorumq; conatus factorũ,
Quib.dudũ hominũ inſaciabiliter trib.interimebã-
Ita hominumq; interfector & formido orcus (tur
Atq; mors ab hoc domita fuit vi immenſa.
Suum verò cũ in ſepulcro mortui corpus triduani
Occuluiſſet hoſtibus magnum gaudium,amicis au
tem luctum ingentem: (ſe,
Ambo enim aiebãt illũ nunq̃ ꝑpetuo uiſuros ſe eſ-
Ex tunc igitur interitus portis triſtiq; Acheronte
Viuus ſurrexit ipſe,etenim Deus eum ſuſcitauit,
Noſter vt ductor & noſter vt rex eſſet ſemper.
Quare & ab æthereo ſuo patri aſſidens ſolio
Omnia aſpicit & ipſi omnia curæ ſunt.
Hũc igitur mi fili, tantopere te diligẽtem ſequere,
Et obtẽpera vocãti,te uerò ille oĩa docebit (operib.
Quæcũq; te oportet facere,humanis enĩ placuit ab
Nemo vnq̃ conditori omnium quęcunq; facta ſunt,
Verum ipſe ſibi obſequẽtes & attrahit et refingit,
In cor,ſuum ſpiritũ immittẽs diuinumq; ſanctũq;
Quo de fiduciã cõcipimus vimq; habemus animis
Atq; ipſum audemus peccatores q̃uis ipſi,(magnã
Noſtrum patrem clamantes filij vocare,
Ipſius enim ſumus populus gensq; dilecta,
Ipſe quotquot in gregẽ oues inq; vnã caulam con-
Tu modò ibi maneto audiens Dei vocem, (cluſit.
Neq; vanũ huius erit uerbũ vnq̃ quodcũq; dixerit.
Ab igitur tuo iacito omnẽ metũ et pauores animo
Et ſoli

Et soli crede verbo Deus quodcunq; dixerit.
Ille aũt non qdem procul manens sed prope assistẽs
Vbiq;, vbicũq; custode opus fuerit, à te mala repel
Qui qdem & volucres per lucidũ pascens (lit.
Aëra huc & illuc volitantes ita gubernat
Vt escam inueniant, & paruulos pullos educent,
Passerculosq; & sturnos monedulasq; et coruos.
Neq; aliqs auceps admodũ etiam callidus egressus
Deo quidem inuito de celo possit detrahere
Horũ vnum vilissimũ, Deus suã manum si præten
At hic vos amat, venireq; ad se hortatur. (dat.
Ecce autem etiam quàm multis prata florent
Pulcra, irrigua, æstatis celesti sub nitore.
Floribus, violisq;, & purpureis rosis,
Et albis liliys, & amabilibus hyacinthis.
Quis aũt vnq̃ rex qui inter homines ornatus esset
Opulentia et potẽtia, quib. quidem exultant reges,
Horum vni similem vestem indutus in solio sedit?
Atq; hi sanè æstate terræ deficiente per solum
Oẽs tabescũt quos quidẽ homines nõ prius decerpse
Sic qdẽ folia Deus ornat hæc ipsa euanida, (rint,
At tui capillorum capitis Deus nouit numerum,
Et tibi semper adest noctesq; & dies.
Quare igitur aut fatũ malũ aut quid aliud times?
Talem omnibus in ducem vijs nactus.
Confide. Viues enim in orci domibus,
Neq; pullatæ constringere fata mortis
Tam vehementer poterũt quin vinculũ effugias.
Certè

Certè enim tempus erit cum suā in carnem quisq;
Subiturus est de mortuis viuus tā malus q̄ bonus,
Boni vt excitati vitā incorruptā semper habeant,
Victores mundiq; orciq; erebiq; fatiq;,
Haud soli, sed per Christum Dei filium Iesum.
At malos nox circundabit erebusq; caligoq;.
Ipse autem ô dilecti tum iudex erit, sic qui dilexit,
Aetheris ex apparens nubium ignei nebula
Manibus fulmen tenens, cum multitudine celitū.
Ibi distinctos suam ad domum deducet
Se fretos suoq; verbo ingressos,
Territans hostes, malum omne propulsans.
His cum non finis neque gaudij erit neq; laboris.
At boni habebunt honorem & gloriam postea.
Nam benefacta præmium et excellentia sequitur.
Impij verò plorabūt malorum caussa quæ fecerūt.
Neq; magis quies dolorum erit neq; fuga.
Hæc repone in mentibus tuis & nunquam obliuio
Abs te tollat, neq; etiam de his dubites.
Piaculū enim graue mendaciū appellareDei uocē:
Hoc sane erit neq; vanū verbū neq; imperfectum.
In hac autem vita diuino manete in cœtu,
Vbi verbum Dei celeste annunciatur semper
Verax, immutabile, Deus ipse Iesus
Atq; illius doctrina ab ore salutaris sonat
Seniorum, & populis sacra communicantur,
Signa beneuolentiæ patris regis expertis originis,
Ipsiusq; filij ex genitore æternigenæ,

Aeter-

Aeternū per spiritū sanctū fidelium consolatorem.
Primum quidē cognosces conuersæ lauacrum uitæ,
Et generationē mortalib.superne afferentem aquā
Liquoris nitorifici, peccata eluentis, puri,
Secundo aūt potestatem clauigerā, quam penes si-
Hominibus celum aperire atq; claudere (tum est
Et tertiò celestem cœnam,in qua Dominus ipse
Instructorq; conuiuij & esca adest, dat enim ad edendum
Corpus proprium (magnum miraculum profanis) & sanguinem ad bibendum
Simul coactis in euocato cœtu.
Vbi quidē quicunq; peccata lacrimas profundens
Ex corde lamentis confitetur,illum absoluens
Verbum Dei fidelium rursum socium reponit.
Ibi etiam vnusquisque facit vota atq; preces,
Dominus vt iussit & edocuit discipulos,
Vt orent ita.Pater ô qui es in celo,
Nomen tuum sanctum esto,pater noster, semper.
Veniat tuum viuificum regnum infinitum.
Et voluntas fiat tua, quemadmodum in celo
Sic etiam super terra vbiq;.panem indies
Pascens tuæ gregē præbe nobis sufficientem caulæ.
Omnino nostra remitte ô pater clemens debita,
Etenim ecce hoc facimus erga proximos nos.
Neq; nos tenta miseros prius ipsos,
Liberato verò ex aduersisq; nos deq; malo,
O pater,ô rex gloriose virtute potentiaq;.

Sic igi

Sic igitur aliquis verſetur: huic autem poſtea
Felicitas infinita vitaq; æterna continget,
Neq; damnum aliquod poterit malum vnquam afferre vllum
Propitium adepto ſæculi mundiq; vniuerſi
Dominum, ducem, regem, per filium, quem quidem
Mediatorem habemus erga illum ſolum, Ieſum,
Qui venit in terram mortalis de immortali genere
Cauſſa peccatorum, vt ſcilicet ſaluaret iniquos.
Aue Deus immortalis Chriſte mortalium ſolus ſaluator Ieſu,
Aue & noſtras beneuolus mitiga ærumnas.

Joachimus Camerarius.

INDICIA ET NOTATIONES LOCORVM QVORVNDAM IN HOC CATEchetico libello.

Si manseritis, inquit filius Dei Dominus noster Iesus Christus in uerbo seu sermone meo, futuri estis reuera discipuli mei, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. ψαλμικὴ *vero* αὐθυποφορὰ *quid? In quo corrigit adolescentior vias suas? In custodiendo sermones tuos. Quam longe autem abducta aliquot retro annis fuerit doctrina Ecclesiastica ab euidentia verbi Dei, & expositione litterarum sacrarum, nimis est manifestum, neque potest negari vel à pertinacia* τῶν φιλονεικούντων πρὸς τὴν ἀλήθειαν, *vel impudentia* τῶν κολακευόντων τοὺς τὰ ψεύδη περιέποντας. *Quia vero iam res eo recidit, ut perturbatis confusisq; omnibus, & vita vniuersa dissoluta, plærorumq; cognitio incerta vagetur, & fluctuet assensio, studia autem scissa & voluntates alienatæ sint plurimorum, neque autoritate & pudore, neque metu & reuerentia cohërceatur multitudo, videndum scilicet est, tanquam acie dissipata sibi quibusque, & circumspicienda salutis copia atque perfugium. Hoc vnicum habituri omnes sunt in meditatione doctrinæ celestis compræhensæ verbo Dei mandato litteris scriptorum Propheticorum*

atque Apostolicorum, & explicatæ commentatione piorum & sanctorum Episcoporum, & presbyterorum, qui in Ecclesia Christi superioribus tempori bus fideles doctores fuerunt, & monumenta laboris sui reliquerunt posteris: Quibus perpetuus à prima mundi origine ad huius vsque diem vltimum, & catholicus consensus de essentia voluntateq; Dei continetur. Eorumq; capita vt exponerentur Græco sermone ante annos 12. cura & diligentia & quadam studij pij industria perfectum est. Et eadem nunc conuersa in latinum sermonem edi placuit, vt et de rebus ipsis, et harum expositione certius iudiciū fieri, et exquisitior cogitatio suscipi posset. *Ad quod nunc etiam aliquid adiumenti afferre visum est, indicio quorundā locorum vnde aliqua accepta & huic libello inserta essent, & notatione quoque nonnullorum, quæ animaduersionem diligentiorem desiderarent. Quæ et ipsa religiosæ pietatis studiosi grata habebunt, & in opt. partem accipient, siue ijs opus sibi, seu non opus esse fuerint arbitrati. Testimonia quidem sacrarum litterarum maluimus vniuscuiusq; potius pio studio perquiri, quam demonstrari indicio nostro. Primum autem hoc indicari fortasse debuit: Sententiam illam veteris autoris, quæ vt reuerendiss. & illustriss. Principi Georgio valde probata recitatur, legi in quadam epistola Basilij his verbis:* ὅτι ἀπόδειξις τοῦ μὴ πνεῦμα εἶναι ἀγενὲς ἁγίων, τὸ ψάλ-

τὸ ψευδεῖς ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς τὰς ὑπολήψεις. πολλὰ δεῖ μεριμνῆσαι, καὶ πολλὰς ἀγρύπνους νύκτας διενεγκεῖν, καὶ μετὰ πολλῶν δακρύων ἐκζητῆσαι παρὰ θεοῦ τὴν ἀλήθειαν τὸν μέλλοντα φιλίας ἀδελφοῦ τέμνεσθαι. *Cum alijs autem quæ recitari ex scriptis huius autoris interdum audiebat, & quæ legebat ipse magnopere delectabatur propter puræ doctrinæ disertam expositionem, & orationis perspicuæ elegantiam, Tum admodum afficiebatur querelis ipsius de sui temporis vitijs & malis, quorum similitudinem plane referrent nostra, turbulenta, seditiosa, superba, ambitiosa, temeraria, dissoluta, perdita. Atque hoc etiam loco breuem mentionem tam egregij principis factam esse, inuidiam nullam habiturum esse, bona spes est. Itaq; iam procedatur ad alia.*

In proœmio, dicitur à quibusdam tanquam brutos homines esse condemnatos Germanos) Hæc καλάκρισις *legitur in primo libro* ὑγιεινῶν *id est de valetudine tuenda Galeni his verbis:* ἀλλ᾽ ἡμεῖς γοῦν οὔτε γερμανοῖς οὔτε ἄλλοις τισὶν ἀγρίοις ἢ βαρβάροις ἀνθρώποις ταῦτα γράφομεν, οὐ μᾶλλον ἢ ἄρκτοις, ἢ κάπροις, ἢ λέουσιν, ἤτινι τῶν ἄλλων θηρίων. *Atq; vtinam hoc probrum nostra natio (tot ac tantis occasionibus datis, eruditionis litterarum, copiæq; bonarum artium ac disciplinarum, & ad omnia veritatis celestis puræ doctrinæ) & maculam istam tandem eluere ac delere conaretur. Verum de his nunc disserendum non est.*

Charta quinta Catechesis Christ.) Non alienum putauimus indicare hoc loco κατήχησιν esse verbale nomen ἀπὸ τοῦ κατηχῶ. Itaque Catechismi, quo nomine vulgo vtuntur, aliam quærendam originem. Verbum autem illud sonum proprie significat instituentis aut demonstrantis aliquid, vt in priore ad Corinthios cap. 14. ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, id est, vt apud alios quoq; sonet vox institutionis meæ. Πράξεων cap. 21. κατηχήθησαν δὲ περὶ σου, Peruenerunt ad eos rumores de te. Hinc fuerunt in Ecclesiastica ordinatione appellati Catechumeni, qui ante baptisma aures præberent doctrinæ Euangelij, & cognoscerent disciplinam Christianismi, & horum doctores Catechetæ, quemadmodum fuisse perhibetur Alexandriæ Clemens. In capite autem II. *historiæ Apostolicæ seu πράξεων narratur. Discipulos doctrinæ Euangelicæ primum fuisse nominatos Christianos Antiochiæ, altero fere anno post Christi resurrectionem. Est autem verbum χριστιανίζω, sicut ἑλληνίζω, φιλιππίζω, μηδίζω, idem quod Christi doctrinam sequor, & hac vtor, seu Christo addictus sum. Et inde Christianismus confessio & professio nominis Christiani.*

Charta 7. Quid est pœn.) Pœnitentiæ vocabulum Græcum resipiscentiam, vel seram intelligentiam notat, et Στρωματεὺς β' interpretans μετέγνω, ὅπερ ἐστὶν, inquit, μετὰ ταῦτα ἔγνω. βραδεῖα

γὰρ

γὰρ γνῶσις μετάνοια, γνῶσις δὲ ἡ πρώτη, ἀναμαρτησία. *Ausonius in quodam epigrammate Latinum nomen habere negat. Exposita autem est hoc loco non accurata neque plena definitio pœnitentiæ, sed indicata tantum commotio earum affectionum animi, quæ sentiuntur, cum mutatur voluntas & consilium in turpibus & malis, tum enim sequitur pœnitentia. Pœniteat Danaum sceleris, inquit alicubi poëta,*

Hic solet euentus facta nefanda sequi.

Vitiosas autem & prauas, scriptura appellat animales & carnales tam cogitationes quam actiones. Et Apostolus Paulus scribens Ephesijs θελήματα σαρκὸς καὶ διανοιῶν *in hoc genere ponit. Vt autem omne facinus malum concipitur primum animo, & hæc est auersio à bono, sic innocentiæ desiderium integritatem vitæ antecedere necesse est, quæ est conuersio ad bonum. Et in ijs qui Deum timent ac credunt verbo illius est salutaris hæc conuersio ad ipsum in fide remissionis peccatorum & spe vitæ, quæ indicata hactenus esse satis fuerit in præsentia.*

Chart. 8. De Decal.) νόμος *seu* νόμιμον φύσεως *est cum lege diuina consentiens ius gentium, omni in re enim, inquit Cicero, consensio omnium gentium, Naturæ lex putanda est.* νόμος πολιτικὸς, *neque vbique vniusmodi, neque vspiam immutabilis est. Quo genere totum ius ciuile continetur.*

 hæ le-

hæ leges feruntur & tolluntur pro re nata. Quod autem commune est omnium animantium, vt appetitio coniunctionis & alij impetus, id ad legum iura nihil attinet.

Charta 19. Matricida) Extant hæc in Euripidis Tragœdia cui nomen Orestes. Quæ sequuntur sunt descripta ex eiusdem poëtæ fabula, quæ habet titulum Hecubæ. Sophoclei versus sunt ex Antigona. Platonis locus de annulo Gygis est in 2. & 10. rerumpub. & meminit illius fabulæ Cicero 3. de Off. Prior autem locus Platonis est in primo πολιτειῶν id est rerumpub. & versus priores Tragici, sunt Sophoclei ex Aiace. Et Charta 14. locus Platonis in fine quarti libri rerumpublicarum.

Char. 25. Peruicaces) Ita conuersum est Græcum nomen αὐθάδεις· qui solent ἑαυτοῖς ἁδεῖν vt hi & φίλαυτοι ijdem esse videantur, cui hominum generi sua tantum placent, & hi nihil nisi quod ipsi fecerunt rectum putant.

Char. 29. Carnis sensus) φρόνημα significationem habet sententiæ elatæ & confidentis. Euripidea autem sunt in Hippolyto.

Ch. 33. Quæ ciuitas habita scilicet) In Græco scribendũ ᾤκηται. De Lacedæmonijs Horodotus lib. 1. quo pacto ἐκ κακονομωτάτων εἰς εὐνομίην μετέβαλον. Ibidem: Non intelligere pecc.) Versus hi in oratione Lycurgi aduersus Leocratem leguntur.

ὅταν

ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ
τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Puto autem scribendum in secundo versu τούτου τὸ πρῶτον.

Ch. 35. Disputationes istæ Platonicæ leguntur in Timæo. Et in Dialogo de cuius autore dubitatur, περὶ δικαίου. *vbi & versus vetus exponitur.* οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς οὐδ' ἄκων μάκαρ. *Quæ sententia ab Aristotele refellitur.*

Scribendum autem in Græcis ch. 39. οὐδεὶς ἑκὼν πον.

Ch. 36. Viol. cont. fid.) νευρόσπαστα *sunt omnia quæ neruis vel etiam funibus intenduntur & commouentur, vt tormenta aut alia quæuis. Vnde de alienæ violentiæ incitatione verbo* νευροσπαστεῖσθαι *vsi fuerunt.*

Ch. 38. Iam populari) In Græcis char. 41. scribendum vel πτέρων *vel* πορθῶν.

Ch. 44. cognatione cum Deo) Cum alibi à Platone ista differuntur tum in dialogo cui nomen Phædon seu de anima.

Ch. 49. fuitq; cum hom.) Hæc sententia suauissima & iucundiss. pijs animis ex Irenæo citatur. In quadam autem epistola Procli Episcopi Constantinopolitæ hæc leguntur: ἡ ἀγάπη τοῦ καθ' ἡμᾶς μυστηρίου αὐτὴ τὸ κεφάλαιον, αὐτὴ γὰρ τὸν θεὸν λόγον ἐπὶ γῆς ἀεὶ παρόντα ἐλθεῖν διὰ σαρκὸς ἐδυσώπησεν. ἑκάτερα τοίνυν ἀλλήλαις συμβαίνει, ἡ μὲν γὰρ πίστις ἔσοπτρόν ἐστιν ἀγάπης, ἡ δὲ ἀγάπη βεβαίωσίς ἐστι πίστεως.

Chart. 51. Et rur. ind. cor.) hæc pia consideratione καθ' ὑπόθεσιν *ita dicta sunt. Nobis autem quid factum sit & acciderit videndum, non curiose inquirendum de occultis & ignotis atque etiam inexplicabilibus.*

Char. 56. Esse & fals. Fi.) Plato πολιτειῶν ζ'. *Fidem tertio à veritate, quam* τῆς οὐσίας *esse* ἐπιστήμην *vult, collocat. Et in Timæo dicit, quantum ad id quod ortum est valeat æternitas, tantum ad veritatem, fidem, vt Cicero interpretatus est, valere.*

Char. 59.. Heu quam nihil est) ex Stobæi capite 103. *sequentes autem versus* Theognidei *sunt. Ibidem: Qui patr. scel.) Exponuntur hi versus ab Aeliano lib. 3. variæ historiæ. Ibidem: Qualia qu.) versus ex oraculo reddito Batto, relatóq; ab interprete Pindari* πυθίων δ'.

Charta 60. Versus Homericus Iliad. γ'.

Charta 67. Cum facta autem men.) Clemens Alexandrinus στρωματέων δ'. *disputat* τὰς ἀνθρώπους δι' αἰτίας τρεῖς παιδεύεσθαι. *quas, qui volet, illo referente cognoscet.*

Charta 68. fort. es. r. h.) τύχη τὰ τῶν ἀνθρώπων, οὐκ εὐβουλία. *Versus prouerbij relatus à Plutarcho. Et Herodoti sententia est in libro primo:* πᾶν ἐστὶ ἄνθρωπος συμφορή. *Quam, nisi fallor, ita liceat enarrare: Nihil non accidere posse ei qui homo natus sit, versareq; casus res humanas omnes.*

omnes. Versus autem sequentes ibidem, exponuntur in Stobæi Gnomologia cap. 102.

Charta 69. Manuprec.) in Græcis char. 84. scribatur ἐπίχθρα.

Charta 72. Secund. Arist.) Extat hæc definitio in proœmio rhetoricorum ad Alexandrum.

Char. 85. Herodoti sententia est in Polymnia illius. sequens versus autem in Stobæi Gnomologia, vt Menandri refertur, cap. 20. Sed Pindarica leguntur in nono hymno Olympiorum.

Charta 86. Philipp.) Hæc narrantur in 16. historiarum Diodori libro circiter finem.

Charta 87. Omnes fere barb.) Ex Aeliani lib. 2. Variæ historiæ. Illud autem: Quid sit Deus) descriptum est ex cap. 78. Gnomologiæ Stobæi.

Charta 93. Versus Homericus prior Odyß. δ'. *alter Iliad.* μ'.

Cha. 94. Narratio de Glauco. Epicydis filio est in 6. lib. historiarum Herodoti. Ibidem versus Euripidis à Cicerone conuersus est in Hippolyto. Lysandri autem seu Philippi dictum in 7. libro Aeliani. De felibus narratio ista extat in libello Heraclidis περὶ πολιτειῶν.

Ch. 97. Iureiurando nos vti non op.) Clementis Alexandri hoc est in libro 7. στρωματέων· ὁ ἅπαξ πιστὸς πῶς ἑαυτὸν ἄπιστον παρέχοι; ὡς καὶ ὅρκου δεῖσθαι.

Ch.101. *Est autem cont.Sab.) Clemens Alexand.* στρωμ. δ'. ἐγκρατεύεσθαι μὲν ἀγαθοεργίας, κακίας ἔργον, ἀπέχεσθαι δὲ ἀδικίας, σωτηρίας ἀρχή. ἢ μοι δοκεῖ τὸ σάββατον δι' ἀποχῆς κακῶν ἐγκράτειαν αἰνίσσεσθαι.

Ch. 109. *Ambit atr. ma.) Euripidis versus est,* ἰφιγενείᾳ ἐν αὐλίδι.

φιλοτιμία γὰρ ἐνέχεται, δεινὸν κακόν

Ch. 114. *Platonica leguntur in quinto libro legum. Et ibidem: Iusti viri) In Stobæi Gnomologia hi versus vt Philemonis leguntur.*

Char. 115. *Quodq; præclariss. res) Euripidis sententia in fabula cui nomen Bacchæ.*

Ch.116. *O qui vehis ter.) Versus ex Troiadib. Euripidis. Ecclesiasticus autem scriptor cuius ibidem mentio fit, est Socrates, in cuius hæc sententia legitur lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ.*

Char. 125. *Quem Deus) Versus sunt ex Antigona Sophoclis.*

Ch. 135. *Narrarunt hoc & alij & Dion in Traiani vita.*

Ch. 142. *Vt inquit Euseb.) libro Ecclesiasticæ historiæ 8. Ibidem: Theodor.) lib. 5.*

Char. 146. *Quod ipse Deus) Versum tanquam oraculi Plutarchus posuit.*

ἄπατα τ' ἀναγκαῖα συγχωρεῖ θεός.

In disputatione: Cur Pythia non reddat versibus amplius oracula.

Ch.148. *Innoc. conc.) hæ sententiæ leguntur in li-*

in libro edito titulo Sapientiæ Salomonis, cuius autor putatur esse Philo Iudæus, qui floruit Caij Cæsaris temporibus.

Charta 149. *Valentinianus Plac.) historia hæc narratur ab Euagrio, lib.3.*

Charta 152. *Alij hæc audientes)* Scribatur in *Græco libello:* ἀκέοντας.

Charta 153. *Illinat cæ. vir.) Allusio ad ea quæ de Vlysse narrantur* Odyß.μ'. *sociorum aures cera illita obturante, ne exaudire possent cantum Syrenarum.*

Char. 154. *Vino) Versus* ex Bacchis *Euripid.* Et mox. *Esse vinum quod ho.) Versus Antiphanis apud Athen. lib.*10. *Laium autem ebrium cum coniuge contra oraculi præceptum concubuisse dicitur in Euripidis fabula cui nomen* φοίνισσαι.

Ch. 158. *Ex Clem.) Leguntur hæc in libro* στρωματέων tertio. Et ch. 159. *Ita pulcr. ocul.) Similitudo Platonica rerumpub.lib.4.*

Ch. 161. *Consueu.enim) A Cicerone celebrata sententia Socratica. Quæ ab Isocrate ad Nicoclem breuiter sic est pronuntiata:* τὸ τῆς πόλεως ἦθος ὅλης ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσιν.

Ch. 162. *Siue manibus ea att.)* Scribendum *est in Græcis* ἤτοι. & ch. 163. *lucra sing.) Versus est in Antigona* Sophoclis, τὰ δεινὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται.

Char. 166. Qui idem Pl. In Græcis ſcribatur ὃς καὶ ἀνάφ. *Et mox Ch. 167. Quod non rep.) Plato* νόμων. ια. ἃ μὴ κατέθου μὴ ἀνέλῃ. *Sed ex poſita verba in Græco libello, leguntur in libro 3. Aeliani. Ibidem: Celum omnibus com.) Verſus ſunt Euripidis ex fabula cui titulus Helena. Et mox Cha. 168. Pindarica ſunt in quarto hymno Pythiorum. Et ibidem: Demoſthenis ſententia eſt in oratione contra Ariſtocratem.*

Ch. 172. Trutina.) huc refert ϛρωματεὺς *ſecundus* hoc Pythagoricum ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν.

Char. 173. Habes ne ſum.) *Ex Plutarcho* περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Platonica autem ſunt *in octauo legum.*

Ch. 174. De puero quo.) hæc recitantur in Aeliani variæ hiſtoriæ lib. 5. In Græco autem libello ſcribendum τιμαρησάμ.

Chart. 185. Vt enim bo.) ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς τε κακοί. *Nicomacheorum libro ſecundo. De cuſtodia autem linguæ ſcitum eſt quod memoratur à Socrate Scholaſtico libro quarto de Aegyptio Pampho.*

Charta 188. Poëtæ ment.) πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. *finis verſus relatus ab Ariſtotele in libro* τῶν μετὰ τὰ φυσικά. α΄.

Char. 189. Poes. pict.) & hoc & Gorgiæ dictum, quod paulo poſt refertur, in libello Plutarchi legitur, cui titulus eſt: πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν.

Ch. 190.

Char. 190. *Secund. Socr.) hæc in Phædro ſunt Platonis. Ibidem: Unde Græcum nom.) Iuſtinus* λόγῳ παραινετικῷ *ita*: διάβολον αἱ θεῖαι γραφαὶ καλοῦσιν ἀπὸ τῆς πρώτης αὐτοῦ πρὸς τὸν ἄνθρωπον διαβολῆς ταύτης τῆς προσηγορίας τυχόντα.

Char. 194. *Non modo procacitas inſimulando aud.) Sic enim verba collocanda ſunt. Eſt autem* προπέτεια *proterua animi diſſoluti incitatio. Et ibidem: Quod libert. or.) Expoſitus verſus à Stobæo capite* II.

Charta 195. *Primum omnium mal.) Timonis verſus commemoratus ab Athenæo lib.* 8. *Eſt autem in Græcis* πρώτιστα κακῶν, *ſimile illi:* μέγιστα φίλων. *Et Lucretiano: Prima virorum.*

Char. 196. *Vet. eſſe præc.) Apud Herodotum hoc dicit Gyges libro primo. Et mox Ch.* 197. *Cogitat. non eſ.) Germanicum prouerbium:* Gedancken ſein zollfrey.

Char. 200. *Talis enim vn.) Verſus ſunt expoſiti in oratione Aeſchinis aduerſus Timarchum & repetuntur in oratione falſæ legationis, quæ eſt* περὶ παραπρεσβείας *Demoſthenis, ex fabula Euripidis cui nomen* φοῖνιξ·

> ὅστις δ᾽ ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ
> οὐπώποτ᾽ ἠρώτησα, γινώσκων ὅτι
> τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Et ibidem, aduerſus diuinam inductionem) id eſt permiſſionem vt in mala deferantur. Seu ob ea quæ diuinitus obueniunt.

Ch.205

Ch. 205. Statuenti ac vol.) In Græcis ſcribendum eſt : μάλιστα δεῖν νομίζ.

Charta 206. Is ne De. qu.) Ex epiſtola Imperatoris Conſtantini hæc ſententia deſcripta eſt, quæ exponitur lib. 2. Sozomeni. Et mox : dierum quadrag.) Scribendum in Græco libello : τεσσαρακονθημ.

Ch. 207. Transformationis) Gregorius Nazianſenus ad Nectarium de errore Apollinaris negantis : ἐπίκλητον εἶναι τὴν σάρκα κατ' οἰκονομίαν ὑπὸ τοῦ μονογενοῦς προσληφθεῖσαν ἐπὶ μεταστοιχειώσει τῆς φύσεως ἡμῶν.

Charta 228.) Non dico autem &c. vſq; ad hæc : Secundum hæc) neſcio quo pacto in Græco libello hæc omiſſa fuerunt, quæ hoc loco aſſcribuntur : οὐ φημὶ δὲ, καθάπερ ἡ ψυχὴ τῆς ζωῆς κυρία, οὕτω καὶ τὰ ἔργα τῆς πίστεως οἷον εἰδοποιὰ εἶναι, ἀλλ' ὅτι οὔτε σῶμα εἴη τε ἂν καὶ ἀληθῶς λέγοιτο μὴ ἔμψυχον, οὔτε πίστις ἡ ἄκαρπος καὶ ἀργή.

Non viſum autem eſt alienum de vocabulo fidei indicare quid veterum aliqui definiendo ſignificari illo docuerint, vt de re maxima & nocentiß. certaminum cauſa cogitari diligentius poſſit, ab ijs quibus & publice Eccleſiæ & priuatim ſua ſalus cordi eſt. Baſilius igitur ita : πίστις ἐστὶ συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι.

Quibus

Quibus verbis hoc dicitur: fidem auditis ijs, quæ prædicari voluisset gratia & benignitas diuina, assentiri sine disceptatione omni in plena cognitione veritatis. ὑπογραφὴ autem in Epistola ad Hebræos nota est: Esse fidem ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων, id est, qua nituntur ea quæ sperantur. Clementi vero est ἔδρασμα ἀγάπης & κρηπὶς ἀληθείας. Qui idem sic veluti ἐξειργάσατο illa in Epistola ad Hebræos, πίστις, πρόληψις ἑκούσιος ἐστὶ θεοσεβείας συγκατάθεσις ἐλπιζομένων ὑποστάσις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Est autem πρόληψις ἑκούσιος, persuasio firma anticipans intelligentiæ humanæ notiones & sensuum comprehensiones. Nam subtiliter disputarunt aliqui Fidei genus non posse perhiberi ὑπόληψιν quamuis sine hac illa esse nequeat. Sed ista alieniora sunt hoc quidem loco. Apud Clementem et alia extat definitio fidei: πίστις ἐστὶν ἀφανοῦς πράγματος ἑνωτικὴ συγκατάθεσις: Assensio complectens atque copulans rem non apparentem. Et rursum: πίστις ψυχῆς συγκατάθεσις πρός τι τῶν μὴ κινούντων αἴσθησιν διὰ τὸ μὴ παρεῖναι. Quam quidem exposuisse ille ait Basilidianos. Et addit πιστὸν εἶναι τὸν ἀπαραβάτως τηρητικὸν τῶν ἐγχειρισθέντων. Id est, eum esse fidelem qui indeclinate seruet commissa sibi. Et in Pædagogo inquit: καὶ γὰρ ὁ βίος ὁ χριστιανῶν, ὃν παιδαγωγούμεθα νῦν, σύστημά τι ἐστὶ λογικῶν πράξεων,

πράξεων, τουτέστι τῶν ὑπὸ τοῦ λόγου διδασκομένων ἀδιάπτωτος ἐνέργεια, ἣν δὴ πίστιν κεκλήκαμεν. Ex quibus manifestum fit ὁμωνυμίαν *& erroris & contentionum hac quoque in parte causam dedisse, & nunc etiam dare. Neque esse alienam curam perquirendi vocabulorum naturas & proprias significationes.*

Char. 234. Siquidem secund.) In Græco libello scribatur: ἤν γε, κατὰ τὸν ἄγ.

Char. 237. Theol. ait.) In oratione hæc leguntur Gregorij Nazianseni, qua defendit seu excusat factum secessionis suæ, qui est ἀπολογητικὸς τῆς εἰς πόντον φυγῆς.

Char. 238. à magnif. glo.) In Græco libello *scribatur* ὑπὸ μεγαλοπρεποῦς δόξης. *Et ch. 240. Qui fit quod quidam assen.) sic enim scribendum, non vt. Est autem locus hic apud Matth. cap. 19. Et ch. 242. propria voluntate) In Græco libello scribendum* αὐτοθελῶς.

Ch. 243. bina, sec. Pind.) locus est in hymno tertio Pythiorum. Et mox char. 244. Sophoclea sunt in Antigona his verbis: ἀλλὰ μοιριδία δυνάσις δεινὰ, οὔτ' ἄν νιν ὄμβρος, οὔτ' ἄρης, οὐ πύργος, οὐχ ἁλίκτυποι κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν, *Paulo vero ante Pindarica exposita, sunt in septimo hymno Olympiorum. Et oraculum Delphicum extat in primo libro Herodoti.*

Ch. 245. Plat. alic.) Hæc disputantur in rerumpub.

rumpublicarum libro decimo. Est autem præclara sententia στρωματέως ς'. στερρῶς τῶν ἑκουσίων ἁμαρτιῶν ἕκαστος σφίγγεται καὶ ἔστιν ὁ θεὸς ἀναίτιος.

Ch. 251. *Apost. duod.)* Hanc παράδοσιν celebrarunt multi, placuitq; quibusdam ideo symbolum appellatum, vt esset quasi σύνθημα, id est signum ac veluti tessera Christianismi, & cognitionis de illo consentientum. Sed hoc in medio nunc relinquitur.

Ch. 255. *Iustarum animarum)* vel iustorum, de animis & corporibus. Hoc enim intelligendum, iudicium futurum esse de hominibus, qui constant anima & corpore, quo in iudicio iustis vitæ æternæ felicitas tribuetur, impij pœna mortis æternæ afficientur.

Ch. 258. *Sed istis omiss.* Græca sic scribantur: ἀλλὰ ταῦτα ἐάσωμεν ἐπὶ τὸ πρόσω.

Charta 262. *His vocab. Theol.)* In oratione εἰς τὰ ἐπιφάνια sic est his diserte vsus. Et obseruatum ab attentis lectoribus scriptorum eius, Quod in disputationibus de Deo, quam Græci θεολογίαν vocant, nusquam dicat Deum tria, aut vnum tria, sed vnum in tribus, & tria vnum. Nam tria esse Deitatem recte dicitur, cum Deitatem distrahi in plura aut secari impium sit.

Ch. 263. *Quæ absurda videntur sapient.)* Præclarum est de toto hoc similitudinum genere quod legitur in fine orationis Gregorianæ, de spiritu

ritu sancto, quod etiam visum est asscribere: τέλος οὖν ἔδοξέ μοι κράτιστον εἶναι, τὰς μὲν εἰκόνας χαίρειν ἐᾶσαι, καὶ τὰς σκιὰς ὡς ἀπατηλὰς καὶ τῆς ἀληθείας πλεῖστον ἀποδεούσας, αὐτὸν δὲ τῆς εὐσεβεστέρας ἐννοίας ἐχόμενον, ἐπ' ὀλίγων ῥημάτων ἱστάμενον, ὁδηγῷ τῷ πνεύματι χρώμενον, ἣν ἐντεῦθεν ἔλλαμψιν ἐδεξάμην ταύτην εἰς τέλος διαφυλάττοντα ὡς γνησίαν κοινωνὸν καὶ συνόμιλον, τὸν αἰῶνα τοῦτον διαπορεύεσθαι διατέμνοντα &c. *Nam quæcunque fidei simplicem assensionem requirunt, ad ea quamminime rationes intelligentiæ humanæ adhibendæ sunt, quæ in similitudinum animaduersione inprimis eminet.*

Charta 267. In profundum imp.) In Græco *libello scribatur* εἰς βυθὸν τῆς ἀσ· *Et mox. Supplex fact.) Consentit doctrina veterum de perpetua deprecatione & intercessione filij Dei pro genere humano. Itaque Gregorius Nazianſenus in secunda oratione de filio, vbi detrahentibus hoc etiam nomine de filij æquali Deitate: Quod semper intercederet pro nobis viuens: perquam præclare & religiose dictum hoc esse ait:* τὸ γὰρ ἐντυγχάνειν, οὐχ ὡς ἡ τῶν πολλῶν συνήθεια τὸ ζητεῖν ἐκδίκησιν, ἔχει (τοῦτο γάρ πως καὶ τὰ ταπεινότητος) ἀλλὰ τὸ πρεσβεύειν ὑπὲρ ἡμῶν τῷ λόγῳ τῆς μεσιτείας, ὡς καὶ τὸ πνεῦμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐντυγχάνειν λέγεται. εἷς γὰρ θεὸς εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων Ἰησοῦς Χριστός. πρεσβεύει γὰρ ἔτι καὶ νῦν ὡς ἄνθρωπος ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας, &c. *Quam præclarissimam sententiam asscripsi meditandam aduersus quorundam perniciosum*

nicioſum errorem conuellere audentum vnici mediatoris perpetuā intercesſionem. Nomen autem ἱκέτου nihil aliud quam deprecatoris ſignificat, neque hoc de ſeruili abiectione intelligi debet, ſed de inexplicabili myſterio conſeruati & ſaluati ab initio vſque ad finem generis humani.

Charta 276. Vnuſquiſque afferet) In Græco libello ſcribi poterit κομίσει pro κομίσεται, vt ambiguitas ſignificationis vitetur. Eſt enim κομίζειν adducere & afferre, κομίζεσθαι petere & auferre.

Char. 282. vt virtut.) Scribatur in Græco libello ὅπως. Et char. 283. Qui vel indulgent) In Græco reponantur verba hoc modo θεογνωσίας, ἤτοι ἐνδιδόντων καὶ πειθομένων τοῖς κρυφ. Et ibidem: occultæ cædes Laced.) In Plutarchi Lycurgo.

Charta 286. vt ait Epiphan.) In diſputatione aduerſus Arianos. Et Charta 288. Socratis repræh.) Apud Socratem Scholaſticum autorem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ hæc leguntur in fine libri ſexti. Et ibidem: Non cadere eſſe Angel.) Non ignota ſententia eſt, quæ exprimitur luculenter in oratione Gregorij habita ad patrem, qui ipſe concionari non vellet, his verbis: γνῶμεν ὅτι τὸ μὲν μηδὲν ἁμαρτεῖν ὄντως ὑπὲρ ἄνθρωπον καὶ μόνου θεοῦ, ἐῶ γὰρ περὶ ἀγγέλων τὶ λέγειν, μὴ

 δᾶρειν

δῶμεν καιρὸν τοῖς πάθεσι καὶ θύραν πονηραῖς ἀντιῤῥήσεσι. τὸ μὲν ἀθεράπευτον τῆς πονηρᾶς καὶ ἀντικειμένης ἐστὶ φύσεως καὶ τῶν ὑπ᾽ ἐκείνης ἐνεργουμένων, τὸ δ᾽ ἁμαρτάνοντας ἐπιστρέφειν ἀνθρώπων μὲν ἀλλ᾽ ἐπιεικῶν καὶ τῆς σωζομένης μερίδος. *Sciamus nihil delinquere omnino ſuperare conditionem humanam, & eſſe Dei ſolius. De angelis enim loqui omitto, ne occaſionem affectionibus demus, & ianuam aperiamus improbis contradictionibus. Sane quod inſanabile eſt, id proprium eſt conſtitutionis malæ & contrariæ Deo, eorumq; in quibus efficacitas huius exercetur. At conuerti peccantes, hominum illud quidem eſt, ſed proborum & quibus ſalus contingit.*

Ch. 289. inquit Theol.) In oratione Gregorij iſta leguntur habita εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα.

Charta 293. Quæ climax) Extat ſcriptum Iohannis cuiuſdam Monachi, de gradibus vitæ religioſæ & ſanctæ, cui ex eo ſcalarum nomen eſt impoſitum. Sed confeſſionis id eſt enarrationis delictorum & Gregorius mentionem fecit, cum alibi tum in oratione εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα. *Itemq; veterum alij, & leguntur de ea quædam in Aſceticis aſſcriptis Baſilio. Eſt autem Socratica iſta philoſophia, & à Platone diſſeritur in Gorgia.*

Ch. 295. Magiſter iſte vitæ com.) Et hæc ſunt accepta ex ſcripto Climacos, paulo ante memorato. Vita autem communis intelligetur ſodalitij

litij coniunctio, cui ille præpositus esset, vt sunt qui Abbates & Priores vocantur.

Ch. 296 Athanasius) scripsit hoc ille in oratione secunda contra Arianos. Et ch. 298. hic remittantur) vel dimittantur ἀφίωνται.

Ch.304. Hoc loco nos in arch.) Liber vnde expressa sunt exemplaria scriptorum Epiphanij fuit reuerendi & clarissimi viri D. Iohannis Langi, qui Erphordiæ Theologiam & veritatem celestem docuit. In eo nos vidimus, istam nescio cuius correctionem asscriptam compellantis quidem illius autorem, patris nomine, κατ᾽ ἀποστροφὴν, & ita eum emendantis. Quod vt euidentius esset, potuit addi particula vocatiui, hoc modo: Adoretur ô pater, etiam cel.

Ch. 304. Non est vera or.) Ex apologia Stesichori, cuius mentio fit in Phædro Platonis. Et vsurpatur hoc, prouerbij figura, de ijs quæ retractando mutamus.

Ch. 308. hasta Achill.) Pleraq; hæc in Pausaniæ libris leguntur.

Charta 311. Cornelius) Exponuntur hæc in sexto libro historiæ Eusebij.

Char. 314. actiones abhorrentes) πράξεις ἀτόπους, absurdas atque friuolas.

Ch.325. Tropica all.) Epiphanij verba sunt hæc in disputatione contra Apostolicos: πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ᾽ ὡς ἔχει. θεωρίας δὲ

δεῖται, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν.

Charta 330. Ecclesiasticas conc. fa.) Hæc verba postea Latine interpretantes verterunt Missæ nomine, vt ille qui tripartitam historiam concinnauit. Et ibidem: Græcum est nomen latinis duobus Principatus diuini, expressum sicut potuit. nam administratio istorum ad eos pertinet qui in Ecclesia præsident, vel nescio quid aliud significari hac appellatione dicamus.

Char. 332. & perfectum) In Psalmo 39. legitur in Græcis libris diathesi media verbum, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοί. *Cuius nunc verbi participio passiuo est vsus.* Habet autem illud integritatis *significationem:*

Charta 335. Nam labor) Translati versus ex Gratijs Theocriti mutato φιλονεικίης *nomine in nomen* φιλονικίας.

Char. 336. Achiuos) Locus Herodoti est in Polymnia.

Char. 340. Pontificum consecratione) scribatur in Græco libello καθιερώσεως.

Ch.342, Tanquam Basilij) ἀσκητικὰ *nomine Basilij edita, ab Eustathio Sebasteno fuisse composita dicitur in 3.lib historiarum Sozomeni.*

Ch.349. Spiritus sanctus personam suam) Hæc sunt simpliciter & indistincte hoc modo exposita. Græci vt vnius principij certa ac firma maneat notio, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα δι' υἱοῦ *dixerũt.*

De qua

De qua re ſuperante omnem intelligentiam creatę naturæ, & cogitare religioſe & loqui caute debemus. Hoc ita fiet, ſi ſcripturæ ſacræ verba et vſurpemus & meditemur. Quod ſi ab aliquo commodius & melius hæc commemorando exponi poterunt, illius oratio potior ſit & retineatur, cum ſententiam quidē omnino & hoc in loco & alijs eam velimus neq; dubitemus eſſe, cuius catholica & ὀρθόδοξος eccleſia, de Chriſti Ieſu & apoſtolorū doctrina ſincerā veritatē amplectitur atq; cōſeruat.

Char. 357. Superſtitionis fla.) τῦφος, quo & elatio ſuperbiæ ſignificatur. Res vtraque inanis atque vana. Sunt autem ſuperſtitioſi omnes quodammodo ſuperbi in ſingulari quoque ſimulatione modeſtiæ ſeu humilitatis.

Char. 361. ſed de inuocante) In Græco libello vt ſit oratio magis κατάλληλος ſcribatur licet, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ ἐπικαλ.

Char. 365. Aduocare Angelos) Explicatores quidam hoc notarunt in epiſtola Pauli ad Coloſſenſes, vbi mentio fit θρησκείας ἀγγέλων.

Ch. 367. ſecundum Homerum) Odyſſeæ ς'. Et mox. char. 368. vbique ac ſemper) ſcribatur in Græco libello: πανταχοῦ τε καὶ πάντ.

C. 371. ſiue Pla. ſeu Xen.) Nā aliq nō Platonis ſed Xenophontis eſſe poſteriorem Alcibiadem ſuſpicati fuerunt, vt ſcripſit Athenæus lib. 11. Verſus aūt referūtur in illo dialogo, neſcio cuius Poëtæ, hi.

ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπάλεξον.

Ch.382. Sic finirent) Notatur hoc modo iste locus in editione luculenta sacrorum librorum Complutensi.

Ch.399. hoc vinc.animæ) Etiam Clemens στρωματέων secundo quemadmodum supra retulimus, scripsit ὅτι σειραῖς τῶν ἑαυτοῦ ἁμαρτιῶν ἕκαστος σφίγγεται. Alij ἁμαρτίαν à consequentia dictam maluerunt quod vnum peccatum alterum sequi soleat. Alij ἁμαρτίαν esse quasi ἁμαρπτίαν corripientem peccantes.

Ch. 400. & peccatum meum) reponatur in Græco libello τὴν ἁμαρτίαν, eius loco quod editum est τὴν αἰ...ίαν.

Charta 409.non esse prouidentiæ diu.) In Græco libello omissum nomen προνοίας addatur, hoc modo: οὐ θείας εἶναι προνοίας, ἀλ.

Charta 410. Inquit Basil.) In homilia supra indicata cuius initium complectitur memoriam Martyris Iulittæ.

Ch. 422. In tertio versu Græco scribatur αἴσυλα. Significat autem hoc nomen improbitatem & vanitatem, quod aliqui Grammatici ἀπὸ τῆς αἴσης ducunt, vt sit quasi συλῶν τὴν αἶσαν. Atque hoc loco finiatur ista appendix. Vt autem, bono consilio demonstrandi doctrinæ sanæ integritatem & explicationem sinceram ac puram, Græca

compo-

compoſita fuerunt, ſic interpretatio quoque Latina addita eſt horum cognitionem cum quamplurimis communicandi ſtudio. In qua, ſiquid forte deſiderabitur, ſiue deprӕhendentur σφάλματα γραφικάτε καὶ παροπτικά, humanitate legentum comiter errata emendabuntur ac corrigentur, & reponentur meliora, & explebuntur ea quӕ requirentur. Nihil autem exiſtimabitur in his ſcriptis aſſeri aut defendi contrarium ſententiӕ quam amplectitur & tenet Eccleſia καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος, in qua ſola doceri veritatem celeſtem concorde explicatione, qui non confitetur, is ſe pernicioſa ambitione à communitate regni Dei ſeparat, & ex numero excludit colentium ſalutarem religionem, & ſæpe exiſtit autor atque caput ſententiӕ & dogmatis falſi & impij. Vnde quam longiſſime abeſſe hӕc ſcripta debent, quӕ interire potius quam vlli dare cauſam erroris in votis eſt. Si cui igitur iſta fortaſſe improbabuntur, is vel non legat omnino, vel legens in veritate perquirenda occupetur, non indulgeat vlli perturbati animi affectioni. Iampridem enim videndum erat ne δάκνοντες καὶ κατεσθίοντες ἀλλήλους ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῶμεν. Quod ab inuocantibus ipſum in fide filij eius, ſpiritu ſuo ſancto pacem concilians, & amorem ſui ac mutuum accendens in cordibus noſtris clementiſſimus & propitius, veniamq; dans peccatis noſtris Deus pater æternus benigne

auertat, Nosque membra Ecclesiæ, quod est corpus filij ipsius Domini nostri IESV CHRISTI, *esse velit vegeta, & vasa misericordiæ, vt eum & in hac vita religiosa pietate colamus, & celebremus deinde perpetuo in æterna vita, vnum, verum, solum, omnipotentem, iustum, sanctum, immortalem, misericordem* DEVM, *in sæcula sæculorum,*

AMEN.

PRECA-

Precatio matutina.

AETERNE, omnipotens, iuste, misericors Deus, pater, & fili, & spiritus sancte, te solum verum Deum adoro & veneror, tibi gratias ago, tuæ benignitati commendo hodierno die, vitam, corpus, animum meum. Te oro vt parentes meos, consanguineosq́;, & omnes in me beneficos, tua misericorde manu protegere, & ab omnibus malis tutos præstare velis. Oro etiam vt mea studia fortunare, & omnes conatus ad tuam gloriam dirigere velis, & perficere, vt inseruiam vtiliter Ecclesiæ Christianæ, & societati hominum, in vera fide Christi, & vitæ integritate, atque puritate mentis, & corporis, & in ecclesia Christiana perpetuo te celebrem. Perfice ô Deus, vt fiat hoc die, & omnibus diebus vitæ nostræ, voluntas in nobis tua, & vitetur quicquid te possit offendere. Guberna mentes nostras sancto spiritu tuo, vt cogitent nihil nisi quod sanctum, pium, castumq́; sit, & tibi placeat. Actiones nostras prouehe ad honestatem & decus, vt tibi probentur, & tua misericordia quæ opplet orbem terrarum etiam nos protege ô Deus, sine quo nil rectum, præclarum, laudabile cogitari, dici, fieri potest, cui sit laus, honor, victoria sine fine, Amen.

Conse-

CONSECRATIO MENSAE.

IESV CHRISTE fili Dei viui, Deus verus, qui nos docuisti inuocare æternum patrem celestem præscripta formula hac. Pater noster qui es in celis, &c. Interpella pro nobis ô mediator, & intercessor vnice Christe, & benigne perfice, vt & alantur corpora nostra necessario cibo, & mens pane celesti pascatur, & studia nostra ad diuinum honorem, & ecclesiæ tuæ vsum dirigantur. Qui cum patre æterno filius coæternus in sancti Spiritus vnitate viuis & regnas, vnus, verus, omnipotens, iustus, misericors Deus sine fine, Amen.

POST PRANDIVM.

Gratias agimus tibi æterne pater celestis pro vniuersis donis ac beneficijs tuis, & quod cibum ac potum abunde nobis præbuisti. Qui aperis manum tuam, & omnia quæ viuunt diuinis tuis muneribus reples. Qui escam suppeditas cum cæteris animantibus, tum desertis pullis coruorum. Da vt te debito timore, & ardenti amore veneremur in fide Iesu Christi, & dilectione ac beneuolentia complectamur nos mutuo. Tu Deus caritas es, qui in caritate manet, is in te manet Deus, & tu in ipso. Custodi nos, conserua nos Deus

pater

pater æterne, qui vna cum filio, & sancto spiritu regnas sine fine, Amen.

Largire nobis quietem, & pacem temporibus nostris, solus enim propulsare potes à nobis omnem vim, & iniuriam hostilem, Amen.

Deus autor celestis pacis ignotæ mundo, mentes nostras tuo numine quietas redde, repelle ab Ecclesia Christi furores & rabiem tam consiliorum, quàm armorum hostilium, & coherce errorum, atque sectarum tumultus: vt placide te veneremur, colamus, celebremus vnum, verum, æternum, omnipotentem, iustum, misericordem Deum, patrem Domini, ac saluatoris nostri Iesu Christi filij tui, cum quo in vnitate sancti Spiritus, viuis & regnas Deus sæculis infinitis, Amen.

Benefac omnibus qui in nos beneficos se præbent, aduersantium inimicorum miserere, errantes in viam reducito. Nostris & omnium peccatis, quæ iram tuam prouocant, propitius veniam da, pasce animas omnium fidelium, ô Deus, cuius voluntas est, vt omnes homines conseruentur, & ad cognitionem veritatis perueniant, Amen.

NOCTV.

Cum peracto die nos benigne ab omnibus malis tutos præstitisti, te Deum laudamus, tibi gratias

tias agimus, & memoriam huius, ac simul omnium aliorum beneficiorum tibi præstamus: orantes, vt & hac nocte, & deinceps perpetuo, conserues nos puros, & insontes, & expertes peccatorum in fide Iesu Christi. Committimus tuæ omnipotentiæ & apud misericordiam tuam deponimus, vitam, fortunas, corpora & mentes nostras parentumq; & consanguineorum nostrorum: Custodi hæc ô clementissime Deus, & illæsa omnia nobis ac illis redde, conseruaq; in vita sempiterna perpetuo. *Fac ita vt obdormiamus, vt corpora & animi* nostri necessaria quiete *recreati, suscitentur ad studia pia, & vitam sanctam* atq; *honestam. Debilita omnia in nobis contraria voluntati tuæ, vt quæ tibi placent confirmentur & augescant. O pater æterne filij tui coæterni & propter hunc noster pater, conditor & creator omnium, qui misertus generis humani, in hunc mundum misisti vnigenitum filium, vt assumta natura nostra, & homo factus, nasceretur ex inuiolata virgine Maria, & atrocissimos cruciatus* atque *ipsam mortem perferret, vt* nos peccatores *à diaboli & mortis tyrannide liberaret. Quem eundem propter nostra peccata, sua sponte afflictum, mortuum, & sepultum resuscitauisti resurgentem tertio die, & assumtum in celum collocauisti ad dexteram omnipotentiæ tuæ, qui & venturus est ad iudicium viuorum & mortuorum:*

rum: Qui tecum viuit in vnitate sancti spiritus, effusi in Apostolos manifesta specie, & promissi Ecclesiæ Christi. Tu pater emissa voce è celo iussisti audiri filium tuum, commoue igitur corda nostra ad hanc præcipue curam sancto spiritu, & congregatos in ecclesia Christi intraq; ouile hoc, defende, protege, ac tuere in hac vita, & post hanc vitam deducito ad vitam sempiternam, pater, fili, sancte spiritus, vnus, verus, æternus, omnipotens, iustus, misericors & clementissimus Deus, *tibi sit* laus, honor, *victoria sine fine,*

A-

MEN.

Lipsiæ,

IN OFFICINA VOEGELIANA.

M. D. LXIII.